Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii S.S. Theologiae in Academia Rostochiensi Professoris, In Decem Primos Psalmos Davidis Commentarius : In quo Textus Analysi perspicua illustratur, ex fonte Hebraeo explicatur, locis parallelis confirmatur, a pravis expositionibus vindicatur ... ; Cum Verborum Et Rerum Indice

Rostoch.: Ferberus, 1621

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729737144

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729737144/phys_0001
DFG

Fc- 1496.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729737144/phys_0002
DFG

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII

S.S. Theologiæ in Academia Rostochiensi Professoris,

IN DECEM PRIMOS

PSALMOS DAVIDIS

COMMENTARIUS:

In quo Textus

Analysi perspicuâ illustratur, ex fonte Hebræo explicatur, locis parallelis confirmatur, à pravis expositionibus vindicatur. Usus verò in locis communibus ex ipsa scripturâ natis ac probatis indicatur.

CUM VERBORUM ET RERUM INDICE.



ROSTOCH. M. DC. XXI.

TYPIS ET IMPENSIS AVGUSTINI FERBERI.

Fc-1496.

Regi Regum,
Domino Dominorum

JEHOVÆ
SACRUM.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

PRÆFATIO

LECTORI BENEVOLO SALUTEM A SALVATORE.

ANte annos sex septem, Amice Lector, hos decem Psalmos publicè explicui, antequam mihi prophetarum demandaretur lectio. Eos in publicum emittere non erat animus, quod in hoc genere tam multa extare viderem, ut qui post tot commentaria jam demum aliquid moliretur, post Homerum, quod ajunt, Iliada velle scribere videretur. Aliter tamen visum est alijs, qui partim suaserunt, partim rogarunt, ut hoc quicquid est publici juris facerem. Morem gerendum censui, saltem eo nomine, ut alijs ansam de multis, quæ adhuc poterant investigari cum in his, tum in omnibus reliquis locis ac capitibus biblicis, seriò cogitandi præberem. Meum igitur institutum paucis jam exponam, ut cordati lectores, quid voluerim, quidque spectaverim, perpendant: alij autem, quid à se, si quando & ipsi in librum aliquem biblicum meditantur commentarium, desiderari queat, considerent.

Commentatori enim industrio, quique legentis in

scriptura profectum spectat, quia sensum investigat accuratè, eumque alijs tradere conatur apertè, in id primùm omni studio erit incumbendum, ut textum authenticum rectè perscrutetur: hoc autem fieri nequit, si non singularum vocum emphasis inquiratur, differentia item inter cognata vocabula in eâdem, & convenientia vel istis correspondentia in diversis linguis indicentur Ne mireris itaq;, Lector candide, quod sæpius in hisce præter morem fortean curiosius ac scrupulosius rimandis aliquid operæ ponam. Fundamenta fabri magnâ curâ locant, ne, quæ superstruuntur, corruant: ego verborum emphasin substerno, ut rerum explicatio subsistat. tu rem æstima, &, ubi putas me rectam instare viam, sequere; ubi errare (quis enim est, qui non offendat in hisce nondum discussis tenebris?) intelligis, comiter in viam reducito, ac, quod sine tuo potes incommodo, lumen de tuo lumine accendas. Feceris, mihi credi hoc velim, operæ precium majus, quam si extra sacra biblia per latissimos distinctionum campos fueris vagatus. Etjam tuæ industriæ hic aliquid restat, nondum in omnibus est veritas occupata, patet cunctis, si quis modo sibi ipse aditum nolit intercludere.

Et hæc est prima, eaq; omnium rectissima ad verum scripturæ sensum perveniendi via (ubi à precibus, impetratoq; Dei auxilio, abijmus) si ipsam Spiritus Sancti linguam rectè ut calleamus, allaborandum nobis esse arbitramur.

bitramur. Deinde quia antecedentium & consequentium non observatâ συνεχεία unus locus in varios sensus potest non detorqueri modo pro legentis arbitrio & affectu depravato, verum etjam sua sponte sæpius in diversas sententias vergere videtur, secunda cura erit, ut per ἀνάλυσιν illa cohærentia inquiratur & dilucidè monstretur. Est enim valde absurdum existimare, apud eum, qui non est ἀκαταστασίας autor, non bene cohærere singula, sed scoparum dissolutarum instar turbata tradi. Si quando populari ratione textus explicatur, sufficere potest, si apud rudem populum hac vel illa ratione, prout præsentis tui instituti ratio fert, textum dividas: verum quando genuina sententia loci, quæ unica est, investigatur in commentario, solum illud ἅυτης ἕφα, has vel illas, tres vel quatuor esse capitis partes, rem tantam non conficit, sed danda est interpreti opera, ut quivis sentiat ac videat, vel illo, quem affert, vel certè simili modo, quem alius diligentior & felicior analyticus suo tempore dabit, partes cohærere. Certè plerumq; plus laboris in unâ ἀναλύσει (quæ tamen ut supervacanea sæpè negligitur) exantlandum, quam in tota explicatione reliquâ sufferendum est.

Tertiò, quia V. T. est fons Novi, Novum lux Veteris, non tantùm exemplo Christi & Apostolorum vaticinia in hoc completa ad illud reducenda, verum locus unus quoq; ex alio simili rectissimè est explicandus. Ut verò

scias, hæc vel illa loca esse verè παράλληλα iterum non modo in latinis & græcis V.T. concordantijs (quod multi putant abundè sufficere) idem nomen aut verbum est attendendum, quum diversa in fonte vocabula eodem in versione, & contrà unum idemq; diversissimis crebrò soleat exprimi, sed in fonte ipso, & quidem eadem conjugatio, constructio, & alterius vocis eadem conjunctio diligenter spectanda, imò in singulis locis dicentis intentio ac scopus, subjecta materia & cohærentia est animadvertenda, absq; quibus aliquis non facile verum inveniat.

Quartò quia omnia, quæ antè scripta sunt, ad nostrum usum sunt consignata, non minima virtus boni interpretis erit ostendere, quomodo singula huic loco & tempori, in quibus vivimus, conveniant: quod genus commentationis vulgo LOCORUM COMMUNIUM nomine solet venire. Hîc id flagitatur inprimis, ne illi tam in textum illati, quàm ibi nati ac inde prolati prudentibus rerum æstimatoribus videantur. aliàs quodnam esset hoc opus, aut quis labor ex aliorum libris ac laboribus multa in tuum congerere sine judicio? Idem etjam judicium esto de controversiarum tractatione in commentario suscepta, quæ quandoq; immisceri amant. Suo loco hæ agitatæ omninò probantur: commentario autem præter necessitatem aliunde insertæ nescio quid lectori, sensum loci biblici venaturo, utilitatis queant afferre. Interim si quod dubium ex ipso textu, ejusq; exposi-

expositione ortum, quin illud rectè ibidem solvatur, non est dubium, nec erit, qui iverit inficias.

Ex his etjam liquere puto, quid sperandum commodi ex eo labore, si quis tantùm multas aliorum opiniones sine discrimine & examine cumulet, incertioremq; quàm accepit dudum, lectorem dimittat: etjam de eorum conatu quid sit statuendum patet, qui neglecto fonte multorum versiones tantùm inter se componunt, atq; ex illis vel conjunctis, vel quibusdam electis sententiam quandam eliciunt, quam scriptori sacro sæpe apponunt verius quàm ipsum exponunt. Versiones equidem magni facio, sed non majoris textu authentico; suam cuiq; laudem relinquo: sed illis solis, fonte non inspecto aut ponderato, genuinum sensum non rarò obnubilari posse assevero.

De alijs scripturarum rectè legendarum adminiculis aliàs erit dicendi locus: nunc quid mihi proposuerim, quidq; fideli commentatori sequendum existimem, sine cujusquam injuria volui indicare: quæ si quis non probat, meliora afferat, & per me maneat suum cuiq; pulchrum, & sua, ut caput & pileus, ita & sententia. Poteram tamen non difficulter probare, hæc omnia à plerisq; nostris Theologis in bono interprete laudari. Ergone, inquis, qui de hisce ita differis, te jam ista præstitisse credis? non ego, inquam, qui si ita mihi placerem, in totum mei ipsius ignarus forem. Novi me pede meo ac modulo metiri, meamq; tenuitatem agnosco, & ita, ut

& ita, ut verioribus ac melioribus libenter assurgam. Tu Lector candide, quod antea te rogavi, rem ipsam sepositio affectu considera: si quid in his à vero abhorrere, aut ei contrariari vides, expunge, & meliora substitue: ita de me multisq; alijs præclarè mereberis, istamq; apostolicam admonitionem auream, omnia dona in commune ac publicum bonum esse conferenda, tibi fuisse commendatam, declarabis. Ecquid præterea? hoc saltem, cur plerumq; potius loca biblica ipsa saltem citare, non vero verba adscribere aut allegare voluerim, in causa est, quod nollem sine gravi causa multas chartas complere, & præstare arbitrabar, hæc tuæ relinquere industriæ, quàm meam in illis frustra occupari.

Vale Lector benevole, & his malis temporibus
ex Psalterio orare disce.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729737144/phys_0012
DFG

הדריכני באמתך ולמדני כי אתה אלהי ישעי אותך קויתי כל היום׃

PROLEGOMENA IN PSALTERIUM DAVIDIS.

Librorum V. T. divisio in Biblijs Hebræis.

Hebræi Veteris Testamenti libros in quatuor partiuntur classes: quarum prima legem תּוֹרָה׃ seu quinq; libros Mosis complectitur: Secunda, חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי תּוֹרָה׃ Prophetas priores continet, qui res antè gestas נְבִיאִים רִאשׁוֹנִים׃ historicâ fide exponunt, quales sunt liber Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum: Tertia, נְבִיאִים אַחֲרוֹנִים׃ Prophetas posteriores comprehendit, qui res futuras maximam partem descripserunt, nempe tres majores, Esaiam, Jeremiam & Ezechielem & duodecim minores uno libro comprehensos: Quarta habet ἁγιόγραφα, scripta sacra, videlicet כְּתוּבִים׃ Job, אִיּוֹב Psalterium, מִשְׁלֵי Proverbia: (Quæ tria cum sint Poëtica, peculiari nomine πεχνικῶς ex primis nominum Hebræorum literis תְּהִלִּים׃ composito vocantur אֱמֶת.) Danielem, Esram, Chronica, חֲמֵשׁ & quinque volumina parva, quæ sunt Canticum Canticorum, Ruth, Lamentationes Jeremiæ, Ecclesiastes & Esther, מְגִלּוֹת quæ tamen in plerisq; editionibus primæ classi subjungi solent.

Psalterium est omnium epitome.

Omnium horum librorum epitome est Psalterium, quod præ reliquis V. T. voluminibus propria quadam dignitate eminet, & ob singularem præstantiam satis commendari nequit. Id

quit. Id cum dcinceps, Deo clementer meis conatibus benedicente, interpretari aggrediar, περιεχομένων loco quinq; breviter declarabo: 1. Quis hujus libri sit titulus. 2. autor. 3. divisio. 4. Finis. 5. Utilitas. Επιγραφὴ sive Titulus est סֵפֶר תְּהִלִּים, id est: Liber laudum, à præcipuo illius & summo argumento. Græci, quos & Latini & Germani in hoc sequuntur, inscribunt ψαλτήριον, seu ψαλμός, ὕμνος Joseph. lib. 1. contra Apionem. Euseb. lib. 3. hist. Eccl. c. 10. quorum illos Hebræi מִזְמוֹרִים, hos a. שִׁירִים nominant: Ex parte verò toti libro synecdochicè hæc competunt nomina.

In illud περιεχόμενα.

Titulus.

Autor primarius Spiritus Sanctus.

Autor ejus primarius seu causa efficiens principalis est Spiritus Sanctus, non tantum, quia omnis scriptura est θεόπνευστος 2. Tim. 3, 15. & à Spiritu Sancto impulsi locuti sunt Sancti Dei homines 2. Pet. 1. 20. 21. Verum etjam, quia David ipse, cum se amœnum (suavem) Psalmis Israelitarum fuisse asserit, statim, unde hauserit istam sapientiam, & quis ejus moderatus sit linguam, subjicit: Spiritus Jehovæ, inquit, locutus est in me, & fermo ejus per linguam meam 2. Sam. 23. 1. 2. Imò Christus à Davide se ejus vocatum esse Dominum in spiritu, testatur Matt. 22, 43. Et Petrus Act. 1, 16. ait, Spiritum Sanctum per os Davidis prædixisse Judæ lapsum & interitum.

Secundarius Davidis & alij pij.

Secundarius vel instrumentalis autor, qui scripsit Psalmos, non videtur fuisse unus: tum quod varia præficiantur eis autorum nomina: tum quod diversis temporibus facti. Plerique tamen tam ij, quibus Davidis nomen expressè adscriptum, quàm ἀνεπίγραφοι nonnulli, sunt Davidis, ut de Psalmo secundo constat ex Act. 4, 25. Reliqui sunt Mosis, Asaphi, filiorum Coræ, eorumq; quorum intitulis fit mentio. Quibus verò præfixa nomina non sunt, de ijs judicium suspendimus, nisi ex alijs scripturæ locis, vel argumẽto de autore constet: Absit enim, ut cum impijs Judæis fingamus vel ab Adamo, Melchisedecho, Abraha-

Vide Gesn. medit. Psalt. cap. 10. Druf. epist. 19. & 22.

Abrahamo, vel alijs conscriptos esse hos Psalmos, cum hic ipse Psalmorum liber, & Christi testimonium diversum suadeat.

Collector *quis fuerit, certò sciri nequit. Putant plerique ab Esra in ordinem esse redactos Psalmos omnes, cum antè à varijs essent collecti, & à Sanctis Dei hominibus Spiritus Sancti impulsu facti.* Collector.

Authoritas *igitur hujus libri divina & authentica est, tum, quod ad res, quæ cum reliquis libris consentiunt; tum quod ad verba & phrases, quæ habent ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων.* Autoritas divina.

Plerique Psalmos juxta præcipuos locos Communes distribuunt, ut alij sint didactici: Alij Consolatorij: Alij hortatorij: Alij prophetici: Alij petitorij: Alij Eucharistici. Quidam in beatitudinis æternæ descriptionem, causas, subjecta, adjuncta & contraria partiuntur. Videatur Gesner. in medit. Psalt. c. 14. *seqq. Alij alias divisiones sequuntur. Cum vero non sit liber, qui continuâ serie cohærentia habeat membra, sinimus unũquemq; suo abundare sensu, & de singulorum Psalmorum partibus investigandis rectius inquiri censemus.* Divisio Psalmorum.

Dividitur ab Hebræis in quinq; volumina seu libellos, finisq; libelli ibi constituitur, ubi Psalmus quispiam voce Amen, vel geminata, vel cum Alleluja posita clauditur, sicut apparet in Psal. 41. 72. 89. 106. Hanc divisionem sequuntur Epiphanius, Hilarius, *& alij, quam rejicit* Hieronymus *in proœmio quadruplicis Psalterij. Ob has rationes sequentes: I. quod in N. T. citetur liber Psalmorum Luc. 20. 42. Actor. 1, 20. non libri. II. quod vox Amen non in fine tantùm librorum, verum etjam in initio, medio & fine sententiæ occurrat sæpissimè III. quod numerus viginti duorum librorum Canonicorum V. T. mutaretur. IV. quod hæc sententia, non esse quinq; libellos Psalterij titulo respondeat, qui erat* סֵפֶר תְּהִלִּים. apud Hebræos. Hanc rejicit Hieronymus. ob rationes quatuor. quæ refutantur.

Verum, quod pace tanti viri dictum sit, hæ rationes non videntur

videntur esse tanti momenti, ut propterea divisionem illam repudiemus. Nam quod ad I. & IV. (quæ planè conveniunt) attinet, facilè refutantur, si tantum vocis סֵפֶר ambiguitas explicetur. Ea enim cum descendat à סָפַר id est, recensuit, quamlibet recensionem vel catalogum designat. Illam, si major fuerit, opus vel volumen; si mediocris, librum; si minor, tractatum, descriptionem aut libellum vulgò appellamus. Gen. 5, 1. Neh. 7, 5. quam eandem ambiguitatem vox græca βίβλος inde retinet Mat. 1, 1.

I. & IV.

סֵפֶר est vox ὁμώνυμος.

Non igitur Hieronymo ita argumentari firmiter licet: Ubicunq; fit mentio libri in singulari, ibi non sunt plures libelli. In subjecto enim pro opere, in prædicato pro aliqua parte ejus accipi potest, & meritò negatur connexio, id quod probari potest exemplo evidentissimo. Non enim sequitur, tantum citatur in singulari liber Mosis, E. tantùm est unus, cum utrumq; pro diverso respectu sit verissimum. Marc. 12, 26. Nonné legistis in libro Mosis? Hic citatur Liber Mosis, quem tamen scripsisse libros quinq; tam græci librorum singulorum tituli, quam totius operis indicant. Deut. 27, 26. Gal 3, 10. Maledictus qui non manet in omnibus istis quæ scripta sunt in libro legis. Vocatur liber legis, quem tamen in quinq; libros esse subdivisum hebræa indicat inscriptio.

Liber Mosis.

Liber legis.

Ad loca in N. T. adducta, ubi fit mentio libri Psalmorum, respondemus, scripturæ esse valde solenne, simpliciter ponere, quod non nisi cum adjectione licet accipere. Ita etjam hic quum scribitur Luc. 20, 42. Nonné legistis in libro Psalmorum, sub intellige, quinto: & Actor. 1. 20, secundo, qui libri sunt in Psalmorum volumine.

Liber Psalmorum.

II. Nec secunda ratio firmiter concludit istâ deductione ad absurdum: Ubicunq; vox Amen occurrit, ibi constituendus est libelli finis. Sed occurrit in initio & medio sententiæ. E. ibi constituendus est libelli finis, quod est ἄτοπον. Negamus enim

enim majorem esse nostram, quæ hoc loco committit fallac. à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Ita enim statuimus; quum pleræq; D. Pauli Epistolæ, aliiq; nonnulli N. T. libri voce Amen *concludãtur, et jam posse libelli alicujus Psalmorum ibi finẽ constitui, ubi vox* Amen *vel geminatur, vel cum* Halleluja *occurrit în fine Psalmi, in primis quia constat non frustra à spiritu sancto esse hîc adjectam illam vocem, quæ cer. titudinem & applicationem fidelem in fine precum designat. Ostendat jam Hieronymus ita geminata hac voce claudi alia Bibliorum capita, quæ non simul finem libri constituant. nam in initio sententiæ præterquam quod asseverandi usum habeat hæc particula, sæpissimè, præsertim in N. T. cum voce* Dico, *aut simili occurrit: hîc vero simpliciter sine verbo adjecto apponitur.*

Amen non omne, sed geminatum vel cum Halleluja in fine Psalmi finem libelli facit.

Tertia ratio, quæ est: Numerus librorum Canonicorum viginti duorum in biblijs hebræis non debet augeri, E. nec quinq; Psalmorum libelli constitui, infirma est, quum primò negari possit connexio majoris omissæ; si numerus viginti duorum librorum non debet augeri, neq; debent quinq; libelli Psalmorum constitui. non enim augetur numerus librorum seu majorum partium, quando unus in plures tribuitur libellos, quod exemplo duodecim Prophetarum minorum satis constat, qui ipso Hieronymo teste ad Paul. & Eustoch. & præfat. in libros Reg. uno libro in biblijs hebræis comprehenduntur, & tamen hoc nihil obstante duodecim libellos constituunt. vide I. Drusium epist. 73. *Deinde respondeo, peti in Assumptione principium, quum id fundamenti loco substernatur, quod facile potest negari, videlicet tot esse V. T. libros Canonicos, quot sunt Alphabeti hebræi literæ. & Judæos aliosq; plures non 22. sed 24. libros Canonicos V. T. numerare satis inde liquet, quod ipsa biblia inde* עשרים וארבעה *nominant, qua de re præter alios* Elias in תשבי.

III.

Quinq; libelli Psalmorum sunt unus liber, ut 12. prophetarum minorum.

Non sunt tantùm 22. libri V. T.

Numeri Psalmis adjecti.

Quod vero porro attinet ad numeros Psalmis additos, probabilis est conjectura fuisse eos ab Esra *collectore adjectos, & à LXX. interpretibus aliquantum mutatos. Unde Act. 13. 33. Psalmi secundi fit mentio, &* Hieronymus in præfat. lib. 16. Commeut. in Esaim *multos citat Psalmos.*

Finis communis.

Finis *seu scopus hujus libri aut est communis cum universa scriptura, aut singularis:* Communis *scripturæ totius scopus est, ad quem omnia, quæ in ea traduntur, tendunt, videlicet Dei gloria & Ecclesiæ ædificatio, Ps. 102, 18. 19. Rom. 15, 4. 2. Tim 3, 16.* Singularis *finis est* triplex: Primus, *ut sit quasi* bibliorum epitome, *cum omnium earum rerum, quæ prolixè in reliquis libris proponuntur in hoc libro compendiosa extet tractatio:* Secundus, *ut omnia aptissimè applicare doceat in praxi, quæ alibi theoreticè declarantur, undè à quibusdam, si hominum infirmitatem spectes,* anatome animarum *dicitur: Ab alijs* παγχρηστον καὶ πανάκεια *vocatur, si beneficia Dei consideres. Si ad utrumq; oculos converteris, hic liber speculum est perfectissimum Dei misericordiæ, & hominum miseriæ.* Tertius, *ut hinc discamus, cum in reliquis libris biblicis nobis Deus loquatur, quomodo nos vicissim cum Deo loqui conveniat: Unde etjam illa* piorum communicatio *hic optimè oculis fidelium subjicitur, quæ est vel* ad ipsos pios, *cum in se descendunt ipsi, & se explorant. Vel* cum Deo, *à quo bona necessaria petunt, & pro ijs, quæ acceperunt, agunt eidem gratias: vel* cum proximo, *cum alij alios hortantur verbo, & monent exemplo.*

Singularis triplex. 1. bibliorum ἐπιτομὴ.

2. Animarum ἀνατομὴ.

Officij fidelium ἀνανομὴ.

Utilitas.

His jam cognitis, obscura hujus libri Utilitas *esse nequit, quæ tamen ut fiat evidentior, breviter ostendi potest, quomodo loci præcipui doctrinæ Christianæ, hinc probari, & errores circa illos refutari queant. Nam ut taceam, quæ tria studij Theologici requisita necessaria, Oratio, Meditatio, Tentatio, in nullo alio libro tam luculenter & plenè sint exposita, quàm hoc Psal-*

In Psalterio habentur Oratio, Meditatio, Tentatio.

hoc Psalmorum volumine, cum & precationum formulas suppeditet plurimas, & Meditationis, Tentationisq; naturam in Davide Psalmographo quasi vivis coloribus depingat, ac in eo velut perfectum veri Theologi exemplar, quod imitemur Psal. 119 proponat: Illud saltem ὡς ἐν τύπῳ *ostendam, nullum fere Christianæ doctrinæ esse articulum, qui hinc vel expressè probari, vel per analogiam confirmari nequeat:* Probari ex eo potest.

De Deo *enim probatur I. Quod sit, ex libro naturæ Psal. 19, 2. Et scripturæ, in locis innumeris, ubi Dei fit mentio, & quidem primis versibus Psalmorum 3. 4. 5, 6. 7. 8. 9 11. &c. Qui accuratè Psal 115. abidolis gentium distinguitur. Ex vaticinijs certissimo eventu comprobatis, quæ continentur Psalmo 2. 8. 14. 16. 19. 22. 45. 47. 68. 69. 72. 110. 117. Ut patet ex diligenti collatione N. T. quod est lux veteris, & in quo eorum complementa describuntur. II. Quid sit, videlicet Æternus Ps. 90, 2. 4. & 102, 27. 28. Infinitus Ps. 145. 3. Verax Ps. 31. 6. Misericors Ps. 103, 8. Justus Ps. 119, 137. Omnipotens Ps. 68. 21. & 115, 3. sapiens Ps. 147, 5. Ubiq; præsens Ps. 139, 3. III. Quod sit unus essentia Ps. 80, 10. IV. Quod sit trinus in Personis Ps. 33. 6. Pater Ps. 2, 7. Filius ibid. & Ps. 80, 16. Spiritus Sanctus Ps. 51. 13. & 143, 10. Hunc esse colendum, laudandum, adorandum, huic soli esse confidendum, tot loci in Psalmis docent, ut supervacaneum sit eos huc congerere. Ps. 9. 2. & Psalm. 62. & 95. 96. 97. 98. & qui à 103. usq; ad 109. sequuntur. Psal. 118, 8. 9.* De Deo quod sit. Ejus attributa. Et proprium Unitas essentiæ. Personarum trinitas.

De Creatione *agit Psal. 19, 5. & 24, 2 & 33, 6. 9. quæ ordine describitur Ps. 104. & 148. Cujus finis præcipuus est Dei gloria Psal. 19, 2. & 103 v. ult.* De Creatione.

De Providentia *Dei, paternaq; sustentatione rerum omnium inanimatarum Ps. 119, 89. Ps. 148, 5 Animatarum, earumq; irrationaliũ Ps. 36, 7. & 104, 27. & 147 9. rationalium, videlicet hominũ, quos Deus format in utero Ps. 139, 15. 16. inde extrahit* De Providentia.

extrahit Pſ. 22, 10. In vita gubernat Pſ. 31, 16. & 139, 2. Vitæ terminum conſtituit Pſ. 90, 3 5. inter quos, ſuos præcipuè curat Pſ. 34, 21. & 56, 9. utens medijs à ſe ordinatis, veluti naturæ curſu Pſ 104, 13. Angelorum Pſ 91, 11. & piorum hominum opera Pſ. 77, 21. Bonas actiones approbat, Pſ. 147, 11. malas permittit, eas non volens Pſal. 5. 5.

De ſcriptura. *De* Sacræ ſcripturæ, *Canone Pſ. 19, 8. 9. efficacia ſingulari Pſ. 19, 9. & 119, 92. & 149, 6. Perfectione Pſ. 19, 8. perſpicuitate ibid. v. 9. & 119, 105. lectione, meditatione Pſ. 1. 2. & 119.*

De Angelis. *De* Angelorum creatione *& eſſentia Pſal. 104, 4. officio erga Deum Pſal. 103, 20. Et homines pios Pſal. 34, 8. & 91, 11. Impios Pſal. 35, 5. 6.*

De Peccato. *De* Cauſis peccati *Pſ. 5, 5. de peccato originis Pſ. 51, 7. Actuali proprio Pſ. 14, 3. Alieno Pſ. 50. v. 18. per errorem commiſſo Pſal. 19, 13. Omnes eſſe peccatores. 14. 3. Rom. 3, 10. 11.*

De Prædeſtinatione. *In Loco de* Prædeſtinatione *ſeu* Electione *Pſ. 47, 5. De Dei Patris infinitâ miſericordia Pſ. 103, v. 8. merito Chriſti Pſ. 40, 8. 9. prædicatione Evangelij per totum terrarum orbem Pſ. 18, 50. (Rom. 15, 9.) & 47, & 117, 4. & 117, 1. (Rom 15, 11.)*

De Chriſti Perſona. *De* Perſona Chriſti, *quod ſit Deus Pſ. 2, 7. (Ebr. 1, 4. 5.) Pſ. 45. 7. 8. (Ebr. 1, 8.) Pſ. 72, 5. 17. & 110, 1. Quod ſit verus homo Pſ. 80, 18. Pſ. 132, 10. 11. (Act. 2, 30.) conſtans anima Pſ. 31, 6. (Luc. 23, 46. & Corpore Pſ. 22, 15. & ſeqq. De* μεταδιδώσει, *qua Chriſto homini divina majeſtas vere communicatur Pſ. 8. 7. (1. Cor. 15, 27. Ebr. 2, 5. ſeqq.) Pſ. 110, 1. Unde Pſ. 80. 18. Filius dextræ vocatur.*

Statibus. *De* ſtatu Exinanitionis, *præſertim in Paſſione Pſ. 8, 6. (Ebr. 2, 9.) & 22. (Matt. 27, 35. 48. Marc. 15, 34. Joh. 19, 24. Ebr. 2, 12.) Pſal. 40. (Ebr. 10. 6.) Pſ. 41. & 69. (Rom. 15. 3 Joh. 19, 29. Rom 11, 9.) De* ſtatu Exaltationis *Pſ. 8, 7. & 68, 19. (Eph. 4, 8.) Pſal. 110, 7.*

De officio

De officio *ejusdem Prophetico Pſ. 22, 23. Regio Pſ. 2, 6. 9. (Apoc. 2, 25. & 19, 5.) Pſ. 110. 2. ſacerdotali Pſ. 40, 9. (Ebr. 10, 1. ſeq.) pſ. 69, 10. (Joh. 2, 17.)* Officio.

De Fide *pſ. 116, 10. (2. Cor. 4, 13) pſ. 125, 1.* De Lege *pſ. 15. & 78, 5. Et* Evangelio *pſ. 19. 8. pſ. 119, 92.* De fide.

De pœnitentia *agitur pſ. 6. 32. 38. 51. 102. 130. & 143, qui propterea vulgo Pſalmi pœnitentiales appellantur.* De Pœnitentia.

De bonis operibus *Pſ. 15. & 24, 4. Pſ. 26. 1.* De bonis operibus

De Eccleſia *pſ. 23, 2. 3. pſ. 24. pſ. 27, 4. pſ. 84. v. 2 5 pſ. 87. & 92, 13. & ſeqq.* De Eccleſia.

De juſtificatione *pſ. 32, 1. Rom. 4. 7.) pſ. 51, 3. & ſeqq. Pſ. 130, 3. 4. & 143, 1. 2.* De Juſtificatione.

De Cruce, *cur Deus eam pijs immittat reſpectu ſui Pſ. 27, 1. & 118, 6. 7. ipſorum fidelium Pſ. 119, 92. aliorum piorum Pſ. 75, 9. & 94, 19. Quomodo eam perferre oporteat Pſ. 6, 2. & 51, 5. Unde conſolationes veræ in ea hauriendæ, ex Perſona primò affligentis Dei, qui non tantum videt calamitates Pſ. 10. 14. ſed etjam ſuo adeſt auxilio Pſ. 55, 23. & 91, 15. Secundò afflictorum piorum, qui agnoſcunt ſe eſſe meritos Pſ. 119, 137. præclara ſuſtentantur conſcientia Pſ. 7, 4. ac fide in Deum Pſ. 23, 4. Tertio ex ipſa afflictione, cujus finis bonus Pſ. 94. 12. & 119, 71. & levitas momentanea Pſ. 30. 6.* De Cruce.

De precatione *exſtat mandatum Pſ. 50, 15. promiſſio Pſ. 81. 11. Pſ. 145, 18. Ubi ſit orandum Pſ. 42, 5 quo tempore Pſ. 55, 18. & 119, 164. Quinam rectè poſſint orare Pſ. 33, 1. & 50, 16. De gratiarum actione Pſ. 116, 14. 18. 19.* De precibus.

De Magiſtratu, *ejuſq; officio Pſ. 2, 10. Pſ. 21, 1. 2. Pſ. 24, 7. Pſ. 82, & 101. Imò precum pro eo fundendarũ formulã habet Pſ. 20.* De Magiſtratu.

De Conjugio *Pſ. 128. De* Morte *Pſ. 49, 10. & 90. 12. De* Finemundi *Pſ. 102, 26. De* Reſurrectione *mortuorum Pſ. 17, 15. & 49, 16. De* Extremo judicio *Pſ. 1, 5. 6 & 9, 8. 9. De* De Conjugio, &c.

inferno Pſ. 16, 10. & 49, 15. De vita æterna Pſ. 16, 11. & 84, 5.

Ἔλεγχος. *Ex hujus veræ doctrinæ notitia, etjam falſæ* ἔλεγχος *fluit, qui quomodo ex Pſalmis inſtituendus ſit, ſuo exemplo præit* Chriſtus *refutans Phariſæorum præconceptas de Meſſia opiniones impias, quaſi tantum eſſet homo Matt. 22, 44. ex Pſ. 110. 1. & quod verſus 22. Pſalmi 118. non de lapide quodam vero, ut fabulantur: nec de Davide, ut placet Calvino, ſit intelligendus, oſtendens Mat. 21, 42. Luc. 20, 17:* Petrus *Judæos ex Pſ. 16, 8. redarguit Act 2, 25. 29.* Paulus *errorem Juſtitiariorum ex Pſ. 32, 2. Rom. 4. confutat.*

Oſtenſus à Chriſto.

Petro. Paulo.

Ἐπανόρθωσις. Ἐπανορθώσεως *ſive morum correctionis ex Pſalterio petendæ monſtratur ratio à* Paulo *1. Cor. 3, 20. ex Pſ. 94, 11. & 1. Cor. 10. 6. 9. ex Pſal 106. v. 14. à* Petro *in 1. Epiſt. 3. 10. ex Pſal. 34, 13. Sic Hebr. 3, 7. 12. ex Pſal. 95, 7.*

Παιδεία. Παιδείαν *ſuppeditant Pſalmi. Confer Matt. 7, 23. & Pſ. 6, 9. Matt. 16, 27. Rom. 2, 6. cum Pſ. 62, 13. Rom. 3, 4. cum Pſ. 51, 6. Rom. 3. v. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. ex multis Pſalmis eadem petitur. Rom. 11, 9. 10. ex Pſal. 69, 22. Rom. 10, 26. ex Pſal. 24, 1.*

Παράκλησις. Παράκλησις *quomodo hauriri queat ex Pſalmis ex Matt. 4, 6. ex Pſ. 91, 11. apparet. Vide Matt. 18, 10. ex Pſ. 34, 8 Rom. 8 36. ex Pſ. 44, 23.*

Commendatio Pſalterij. *Ex dictis jam ſatis liquet, quod ſi omnia, quæcunq; antea ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt (Rom. 15, 4.) hic etjam Pſalmorum liber longè ſit utiliſſimus, quippe quem ſcriptura ipſa meditandum proponit Col. 3, 16. Eph. 5, 18. quem ſapientiſſimi reges David & Salomon jugiter in cœtu piorum decantandum conſtituerunt 1. Chron. 5, 16. quem Chriſtus & Apoſtoli ſuo exemplo nobis commendaverunt Matt. 26, 30. Act. 4, 24. quem denicq; noſtri majores fecerunt ſemper maximi. Et hæc pro inſtituti noſtri ratione prolegomena ſufficiant;*

ciant: nunc ad remipsam accedam, si prius de Methodo, quam, Deo duce, secuturus sum deinceps, pauca adjecero. Ea erit, ut I. Psalmi inscriptione, si qua est, declaratâ. II. Argumentum ejus breviter subjiciam. III. dispositionem & ἀνάλυσιν tradam, eam IV. textus paraphrasi & vocum emphaticarum declaratione, ac locorum parallelorum adductione illustrem. V. Locos communes inde eruam. Et denique VI. dubia, si qua occurrerint, subnectam.

Quam methodum sequatur autor.

ENARRATIO PSALMI PRIMI.

PRimus & Secundus Psalmus sunt ἀνεπίγραφοι, & quasi communis totius Psalmorum libri præfatio; quorum ille juxta nonnullos Summam Legis: hic Evangelij contineat, ut qui se legem servare, haud posse vidisset in primo, ad justitiam Evangelij, quæ fidei est, in Christo Jesu, fine legis, ad justitiam omni credenti, Rom. 10. 4. in Psalmo secundo expositam deducatur. Ille parit attentionem: hic docilitatem: Ille agit de Ecclesia vocatorum & vocationi obedientium: hic de capite ejus Christo: Ille beatitudinem ex lege seu verbo Dei tantum hauriri asserit: Hic verbi Dei summam explicat.

I. & II. Psalmus totius Psalterij proœmium.

Judæi veteres unicum ex duobus fecerunt Psalmum, 1. quia inauspicatum finem studiosè fugiunt. 2 quia finis Psalmi secundi optimè congruit cum initio primi, ut ita sit ordo κυκλοτερὴς & perfectus: Unde etiam factum est sine dubio, ut Act. 13, 33. patres nonnulli legant Psalmo primo, ubi jam secundo legimus.

Olim fuerunt unus.

Argumentum & summa primi.

Argumentum Psalmi primi est: *Beatos esse, qui servant legem: Infelices, qui nefariè eam violant, cum justitia Dei utrisq; sit redditura secundum opera sua. Quod igitur (verba sunt* Basilij Magni) *in domo fundamentum, in navi carina, in animali cor est, idem toti Psalmorum libro hic Psalmus est, & Psalterij proœmium.*

Ἀνάλυσις.

Partes Psalmi sunt *duæ: Propositio & Confirmatio.* Propositio *est: Pius est beatus: Cujus subjectum dupliciter describitur, 1.* ἄρσει, *quid non faciat v. 1, 2.* θέσει, *quid faciat v. 2. Prædicatum dupliciter exornatur, simili ab arbore felice & frugifera desumpto v. 3. Et antithesi sive contrario, infelicitate scilicet impiorum, quæ etjam describitur* κατὰ θέσιν *v. 4. &* κατ' ἄρσιν *v. 5.*

Syllogismo summa comprehenditur.

Confirmatio *sive causarum explicatio felicitatis piorum & infelicitatis impiorum v. 6. subjicitur: Unde Syllogismus hic potest exstrui: Quorum viam Jehova agnoscit, sunt beati: Piorum viam agnoscit v. 6. E. pij v. 1 & 2. sunt beati v. 3. Et contra: Quorum via peritura est, illi sunt infelices. Impiorum via peritura est v. 5. E. impij sunt infelices v. 4. 5.*

Propositio hujus Psalmi παραφραστικῶς *explicatur Ps. 119, qui utiliter cum hoc potest conferri.*

A fine cur incipiat Psaltes.

Vers. 1.] Propositionis, qua est in hoc Psalmo primo principalis, prædicatum primum nudè ponitur, subjectoq; præponitur. Ethicam enim Christianam conscripturus vates regius, non ut in stadio à carceribus ad metam, sed à meta & fine orditur, qui est felicitas vera. Hujus consequendæ spe ac desiderio ad perferendos labores, qui in via pietatis arctâ sunt exantlandi, invitentur homines: Qua de re videatur Basil. M. *in hunc locum.*

Sic igitur Magnus ille Magister, Spiritus ille veritatis summa sapientia & artificio à pollicitatione præmij exordium capere vo-

pere voluit, ut obliti laborum fini universi studij Theologici tantum intenti essemus.

Nomen hebræum אַשְׁרֵי *est plurale ad præmij excellentiam indicandam, q. d.* Beatitudines omnigenæ, *tam hujus, quàm futuræ vitæ hic promittuntur, ut ex Apostolo vocis declaremus emphasin 1. Tim. 4, 7. idem nomen semper in regimine sive constructum occurrit, ut potius ab alio, quàm nobis ipsis parari hanc felicitatem posse existimemus.* אַשְׁרֵי cur semper in plurali & regimine.

Prædicato ita simpliciter posito, subjectum eodem modo subjungitur, ut sciatur, quis ille sit, cui summa obventura, hæc sit felicitas, & cujus propria futura sit illa beatitudo multiplex, nempè הָאִישׁ illius viri, *cui sequentes competunt notæ: Qui non est tepidus Apoc. 3, 16. sed fervens Spiritu Rom. 12, 11. Qui cum manum admovit aratro, non respicit Luc. 9, 62. qui viriliter agit & confortatur 1. Cor. 16, 13.* אִישׁ *enim non quemvis plebejum hominem (quem vocant hebræi* אָדָם*) sed virum præstantem significat Ps. 49, 3. & 62, 10. Es. 2, 9. huic* הַיְרֵעַ *(emphaticum, quod græcorum articulo ὁ, latinorum pronomini ille respondet Joh. 1, 21. & 10, 11. Matt. 1, 6.) præfigitur, ut tantò major reddatur emphasis. Ita namq; porrò describitur* κατ' ἀναίρεσιν. 2. κατὰ θέσιν, *sive quod desistat à malo v. 1. & faciat bonum v. 2. ex Ps. 34, 15.* Quis beatus. אִישׁ אָדָם He Hajediæ usus & vis.

In illâ climax triplex est, quarum prima personas: secunda vitæ instituta: Tertia actiones depingit. Personarum, earumq; impiarum primus gradus exprimitur voce רְשָׁעִים, qui sunt improbi animo, *mente iniqua ac turbulenta, quibus nulla pax est Esa. 48, 22. & 57, 24. qui malam agunt causam Exod. 2. 13. Ps. 9, 16. ac injustitiam exercent, unde* צַדִּיק *opponitur Gen. 18, 23. 25. Secundus gradus* חַטָּאִים *comprehendit, hoc est,* peccatores; *quorum cordis impietas & inquietudo in externum actum prorumpit, qui quod animo* Climax triplex. I Personarum 1. רְשָׁעִים 2. חַטָּאִים

חטא

nefariè cogitarunt, opere ipso adimplent & semper à vero actionum nostrarum fine aberrant. חָטָא *enim propriè significat aberrare, nec scopum attingere Jud. 20, 16. sicut &* ἁμαρτάνω *apud græcos. quò respicientes quidam, cum hujus vocabuli* ἔτυμον *inquirunt, ab α. στερητικῷ & μάρπτω, apprehendo, illud deducunt. Alij tamen rectius ab* ἅμα *&* ἅρπη *derivant, eò quod unum verum: falsum, quando à vero aberratur, multiplex, & cum, vel juxta perfectum, non autem ipsum tale.*

לָצִים 3.

Tertius gradus deniq; designat eos, qui non tantùm mala cogitant in corde, eaq; proferunt ore, exsequuntur opere, sed etjam in sua gloriantur malitia, omnes admonitiones pias contemnunt, pietatem, religionem & justitiam omnem subsannant ac deludunt, de quibus 2 Pet. 3, 3. & Epistola Judæ v. 18. Hæc enim est vis vocis hebrææ לָצִים, *quæ à Rad.* לוּץ *id est, lusit, illusit, derivatur; Unde quidam vocem latinam formari asserunt. LXX. valde emphaticè reddunt* λοιμὰς, *pestes, quo abstracto ex idiotismo linguæ hebrææ pestilentissimi designantur: sæpe enim substantivum solum pro adjectivo superlativi gradus usurpatur Gen. 3, 6. & 13, 10. & 43, 11. Marc 13, 19. Estq; hoc genus hominum pessimum, qui sunt quasi pestes generis humani ac veluti furiæ, ex inferis emissæ ad turbandum orbem terrarum: Unde etjam Judæi Paulum gravissimè cum essent accusaturi,* λοιμὸν *vocant Act. 24, 5. Cujus vocis emphasin copiosè alijs verbis exponit 1. Cor. 4, 9. seqq. Hæc est climax Personarum, cujus ulterior gradus priorem includit & malitiâ superat.*

Λοιμοί. Abstractum pro concreto.

II. Vitæ institutorum.

Climax formarum, ut ita dicam, seu vitæ institutorum, quibus deditæ sunt illæ personæ, est hæc: Improbis primò tribuitur Consilium, *hoc est, malitiosæ, vafræ & inquietæ cogitationes, quibus varias rationes comminiscuntur, ut ijs per fas & nefas ad propositum perveniant Ps. 2, 1. 2. Peccatoribus*

1. Consilium.

deinde

deinde assignatur via propter impietatis expressionem, pro- 2. Via.
gressum, usum, consuetudinem & continuationem: siquidem
hic scripturæ mos, ut quodvis vitæ institutum viam nuncu-
pet Gen. 6, 12. & 18, 19. Num. 22. v. 32, & infrà v. 6. viam Quo nomine quodvis institutum.
justorum (vivendi rationem) Deo probari: at improborum
perituram legimus. Illusoribus deniq; datur sedes seu Cathe- 3. Sedes.
dra, hoc est, cœtus & consensus securè in malitia exultans ac
regnans, ut fieri amat, ubi obstinata cor obduravit nequitia.

Actionum climax similis est prioribus, confer Gen. 49, 6. III. Actionum.
Cum etenim constet esse certos peccatorum gradus Joh. 19, 11. 1. Ambulare.
Minus est, quod improbi eunt seu ambulant ad certum suum
finem, ita sua consilia instituunt, ut eum quo jure, quaq; in-
juria obtineant. (Scripturæ phrasi ambulare dicuntur, qui Quid hoc notet inscripturæ.
certo modo vitam instituunt, ut ad præfixam sibi metam per- Item, exire ac introire.
veniant Gen. 17, 1. 1. Reg. 8, 21. Matt. 7, 5. Act. 14, 16. &
phrasi cognata exire & introire scribuntur, qui certam su-
stinent functionem Deut. 21, 2. 1. Sam. 18. v. 13. 2. Sam. 3, 25.
Ps. 121, 8. Esa. 37, 28. Joh 10, 9. Act 1, 21. Majus est, quod peccato-
res in suâ viâ pessima consistunt, *coram quorum oculis non est* 2. Consistere.
pavor Dei, & malum non spernunt Ps. 36, 2. 5. (Vox עָמַד *sæpè* עָמַד id est,
pro manere in suo statu accipitur Ps. 24, 3. quis stabit in mon- mansit.
te sancto? Ps. 19, 10. reverentia Jehovæ stat in sempiternum,
Ps. 102, 27. Ista peritura sunt, Tu autem stas Johan. 8, 44.
Colos. 4, 12. 1. Cor. 15, 1. & 16, 13. Gal. 5, 1. Esa. 66, 22. Exod. 33,
10. 2. Chron. 34, 31. Es. 3, 12. quomodo etjam significat fideliter
inservire Deut 10, 8. 1. Sam. 16, 21. 1. Reg 17, 1.) Maximum
vero est, quod illusores in cathedra suâ planè considents, & jam 3. Sedere.
non amplius ex infirmitate, vel ignorantia: sed planè desti-
natâ animi malitia, & quasi elata manu in Deum & homines
securi peccant, & in hoc statu sine ulla spe veniæ se offirmant
(sedere namq; id quandoq; dicitur in scriptura, quod semper eo- Scripturæ stylo quid notet.
dem mo-

dem modo se habet, nec facilè mutari potest Ps. 125, 5. mons Sion sedet in perpetuum Ps. 29, 10. Jehova in diluvio sedebat & sedet Jehova Rex in seculum Ps. 9, 8. Jehova in seculum sedet. Sic vox, sedet, apud probatos autores latinos etjam accipitur pro deliberatum, certum, visum est, placet Virgil.

etjam apud latinos.

2. Æn. Et sedet hoc animo perituraq; addere Trojæ

4. Æn. Teq; tuosq; juvat.

Si mihi non animo fixum immotumq; sederet: quemadmodum etjam vox, stat, apud Virg. stat sua cuiq; dies. & in vulgus nota est locutio: stat sententia.

Tres gradus impiorum.

Ita ortus, progressus ac terminus impiorum tribus gradibus absolvitur, quorum primus potentiam proximam, secundus operationem plenam: Tertius habitum contractum refert: Vel, ut Theologicis terminis utar: primo ordine continentur, qui naturæ vitio contaminati sunt: secundo, qui peccatis actualibus sunt dediti: Tertio, qui in peccatis contra conscientiam seu regnantibus pertinaciter degunt. Unde qui cogitationibus malis indulget, viam insistit eam, quâ habitū malū sibi contrahat, in quo consistat & paulò post desiderat Pij verò non ambulant cum impijs: sed in integritate & veritate, non sedēt cum hominibus vanis, oderunt congregationem maleficorum Ps. 26, 1. 3. 4. 5. 11. Et si quando ex infirmitate carnis in consilio eorum ambulant, tamen non consistunt, vel, si constiterint aliquando, tamen non desident in cathedra illusorum Jer. 15. v 17. Hæc est ἀπόφασις, & descriptio pij κατ' ἔρσιν: sequitur.

à quibus pij differunt.

Vers. 2.] κατάφασις, & ea quæ est κατὰ θέσιν: Pius non tantum est ἀποσυγῶν τὸ πονηρόν, sed etjam κολλώμενος τῷ ἀγαθῷ Rom. 12, 9. Unde sequitur: sed voluptas ejus est in lege Dei (Jehovæ) seu doctrinam à Deo traditam, quæ est vocis תּוֹרָה primæ-

תּוֹרָה.

primæva significatio, cum à יָרָה projecit, in Hiphil docuit deducatur, & exempla manifesta idem probent Es. 2,3. Ps. 19, 8. Et in N. T. Rom. 3, 27. & 8, 2. יְהוָה autem est nomen Dei essentiale à הָוָה vel הָיָה id est, fuit Exod. 3, 14. & 6, 2: quia hic solus semper est idem, & omnia reliqua, quæ fuerunt, sunt, & erunt, ab eo suum esse habent. יְהוָה

Hujus præceptis pius non tantùm dat operam, non tantum ea scit; sed etjam amat, assentitur, & conatur ut faciat, cum hæc ei desiderabiliora auro, dulciora melle Ps. 119, 11. Hæc siquidem est vocis hæbrææ חֵפֶץ propria significatio, ut summum studium, desiderium & oblectamentum designet Gen. 34, 19. חֵפֶץ

Hoc suum studium internum porro probat pius externo opere & facto ipso, dum meditatur in lege Dei, in ea sese exercet sedulò, & de ea cum sibi in corde, tum alijs ore loquitur, quod utrumq; verbum הָגָה complectitur Ps. 19, 15. Ps. 37, 30. & 35. 28. & 115, 7. הָגָה

Exercet se igitur pius in præceptis Jehovæ, ea legit, lecta recolligit, recollecta & bene considerata alijs proponit, alijs proposita vita & moribus ipse exprimere studet: sed quia etjam improbi sapius verbum Domini crepant, enarrant decreta Jehovæ, & assumunt fœdus ipsius in ore suo Ps. 50, 16. & hypocritæ dicunt: Domine Domine Matth. 7, 21. tantũ ut videantur hominibus Mat. 6, 1. 5. determinatio temporis adjecta verè pij hominis studium continuum designat: Ita enim delectatur lege Domini, ut ejus meditationi non tantum interdiu, sed & noctu vacet, sicut accidere solet ijs, qui serijs & allubescentibus cogitationibus abstinere nequeunt, etjam in somnis: Unde David omnium piorum vivum quasi exemplar noctu se etjam nominis divini recordari ait Ps. 77 7. Et 92, 3. & 119, 55. 62.

Vers. 3.] Atq; hactenus descriptio subjecti: sequitur Prædicati, quæ etjam duplex est: Nam v. 3. simili illustratur felicitas

licitasistiushominis,de quo huctenus, & v.4. à contrariò. Felicitas illa simili declarata rursum est duplex : Una interna & inhærens,quod pius sit verè bonus : Altera externa & adventitia, quod sit propterea afficiendus honore & præmio. Illius , quæ licet sit in homine, tamen non est ab homine , tres sunt gradus: quorum primus radicis est, & constitutionis optimæ, Pius est tanquam arbor plantata ad rivos aquarum: secundus fructuum, quæ fructum suum edit in tempore suo : Tertius foliorum , cujus folium non defluit, ut ille habitum & potentiam profluentem ex insitione in Christum: Iste operationem & fructus bonos : Hic deniq; ornamentum & commoditatem ex clementi Dei benedictione promanantem doceat. Est enim pius velut arbor non sylvestris,non sponte nata , sed manu hortulani consita , quæ adhuc viget & viret & ut melius vireret quàm prius,transplantata (quæ est vocis hebreæ שָׁתוּל emphasis Ezech. 17, 22. 23.) & ex loco sicciori ad rivos aquarum , locum undique irriguum , quem utrinq; rivuli perfluant amœnissimi , qui horto separantur & dividuntur, cum tamen ab uno perenni fonte promanent (פֶּלֶג enim à פָּלַג , id est, divisit , descendit) quæq; non est sterilis, sed fructum suum , quem colonus laboris sui præmium speravit, non tam fert,quam largiter donat (Id enim verbum hebr. נָתַן significat,ut apparet ex Zach.8,12.Psal.67,7. & 85,13.Mar.4,18.) & tempore suo , in ipso temporis articulo , cum matureſcere illius generis fructus solent. Nam ut apud græcos vox καιρὸς tempus commodissimum & cuiq; rei à natura destinatum propriè significat Rom. 13. 11. Eph. 5, 16. Ita ei apud hebræos vox עֵת respondet. vide Ecclesiasten. c. 3,1. & seqq. Imo cujus folium vel supernè enatum , ventorum pluviæq; injurijs expositum defluit minimè,ut ea quæ marcescunt & flaccescunt, quod propriè vox hebræa נָבֵל sonat : sed quæ semper viret, & cujus

שָׁתַל

פֶּלֶג

נָתַן

καιρὸς

עֵת

נָבֵל

& cujus nunquam Boreas decussit honorem. Ita simili per tres gradus deducto felicitas inhærens pij describitur.

Externa seu adventitia, quæq; magis in oculos aliorum incurrit, his verbis continetur: Et quicquid facit, seu profert (Hebræi namq; arborem facere fructum dicunt Es. 37. 31. Jer. 17, 8. Ezech. 17, 5. quod genus loquendi in N. T. sæpissimè retinetur Matt. 3, 8. 10. c. 7, 17. 18. 19 Luc. 8, 8. Apoc. 22, 2.) prosperabitur, proderit, & finem suum consequetur. Facere fructum.

Sic etjam, ut allegoriam propositam statim explicemus ad majorem sequentium evidentiam: Pius est arbor, quæ non sponte sua provenit, sed manu hortulani cœlestis plantata Ps. 92, 4. Joh. 15. 1. & c. 20, 15. ut Cedrus juxta aquas Num. 24, 6. Imo transplantata per regenerationem Matt. 15, 14. Joh. 15. 1. Rom. 6, 3. 5. & interprete Paulo Col. 1, 13. liberata ex potestate tenebrarum, & translata in regnum filij Dei, ut in omni opere bono fructum ferat & crescat in agnitione Dei, ib. v. 10. Christo insita Rom. 6, 5. constituta ad rivulos aquæ perennis verbi Dei (quod in scriptura designatur aquæ nomine sæpissimè Es. 44, 3. Ezech. 36, 25. Sir. 15, 3.) quæ fluit ex fonte vitæ & sanctuario Ezech. 47, 1. ipso videlicet Christo Joh. 7, 38. & 4, 14. sicut typo olim fuit indicatum Exod. 17, 6. 1. Cor. 10, 4. Unde etjam dona Spiritus Sancti ad propagationem Evangelij necessaria פַּלְגֵי, Ἀφαιρέσεις χαρισμάτων divisiones donorum vocantur 1. Cor. 12, 4. Rom. 12, 3. Eph. 4, 7. quâ aquâ vitæ cum irrigata est hæc arbor, fructus suos, hoc est, bonos profert Matt. 7, 17. ornata fructibus justitiæ Phil. 1, 11. tempore suo commodo Eph. 5, 16. Gal. 6, 10. ac ut plures fructus ferret à cœlesti hortulano purgata Joh. 15, 2. floret ut palma Ps. 92. 13. cujus folium non decidit Ezech. c. 47, 7. 12. quippe cujus justitia perstat in æternum Ps. 112, 3. & quicquid Pius cum arbore comparatur.

rectè sub manus succedit, ne labor ipsius in Domino sit inanū 1. Cor. 15, 58. sed prosper in omnibus sit successus, ut promissum est Lev. 20. Deut. 28. Ps. 37. Ezech. 47. etjam in ipsis malis Rom. 8. & fructus ipsius maneat Joh. 15, 16.

Improbi non sunt verè felices. מוץ

Vers. 4.] *A contrario illa felicitas illustratur hoc modo:* Non ita improbi, *non ita fructuosi, non ita ornati, nec ita felices: Non ut arbor illa, de qua versu præcedenti,* sed ut gluma, *radice, succo, fructu, omniq; viriditate carens* (מוץ *enim significat folliculum ex grano expressum & disparatum quod satis liquet, quia cognationem magnam habet cum* מרץ, מצה & מצץ *id est, expressit*) *sicut vero* hanc dispellit ventus, *ita etjam impios furor Jehovæ, ejusq; potentia exagitabit. Ut enim nescimus, unde ventus, quo & quando venturus sit Joh. 3, 8. Ita nec impij potentiam Dei præcavere possunt, donec sentiant Ps. 18, 11. & 83, 14. 16. Job. 38, 1. quia surgente Deo dispersuntur impij, q. impellat fumum, impellit eos: Et ut liquefit cera ab igne, pereunt improbi à conspectu Dei Ps. 68, 2. 3. & machinantes malum sunt gluma coram vento, angelo Jehovæ impellente Ps. 35, 5.*

Improbi non consurgunt in judicio.

Vers. 5.] Propterea *nempe, quia sunt inanes fidei & bonorū operū Matt. 22. v. 11. & 25, 8.* nō consurgent *nec consistent* improbi *sed impingent, cadent, ruent in exitiū, cum neq; in hac vita in illo cœtu &* judicio *piorum, de quo versu primo & secundo:* neq; *post eam* peccatores in *consortio seu* conventu justorum *coram Deo possint locum habere Matt. 25, 32. 41. Ita enim plerique de extremo judicio hanc vocem accipiunt cum* ה *emphatico sit notata, quod tamen per* ב *præfixum extruditur & suum punctum huic relinquit Buxtorf. in thesaur. p. 513. Nam qui in extremo judicio consistere nequeunt; sed causa cadunt, illi revera tum declarantur tales, qui antea in judicio Dei* δοκιμασίας *& castigationis consistere noluerunt.*

LOCI

LOCI COMMUNES.

EX v. 1.] *I. Cum omnes naturâ bonum appetant, summum hominum studium semper fuit, summum bonum nosse, cujus consequendi gratia nihil non faciunt. Et extra Ecclesiam quidem, quia non omnes eadem mentis acie fuerunt præditi, pleriq; apparens etjam pro vero bono civili amplexi sunt, adeò ut* Cicero *affirmet, de nulla quæstione majorem, & inter summos viros fuisse dissensionem, quàm de ea, quâ quæritur, quænam res sit hominis summum bonum?* Aristoteles *quidem sex præcipuas de summo bono opiniones lib. 1. Eth. recitat.* Augustinus *vero* lib. 19. de C. D. cap. 1. 2. *ducentas octuaginta octo sectas ex M. Varrone enumerat circa hanc quæstionem dissidentes, ut merito de hoc sententiarum divortio exclamemus: Bellua multorum es capitum! Nam quid sequar, aut quem? In Ecclesia vero huic dubitationi periculosæ ut mederetur Spiritus Sanctus, non tantum totum Psalterium, velut Ethicam verè Christianam, sed etjam multos Psalmos Beatitudinis voce incipit, ut Ps. 1. 32. 41. 112. 119. 128. Quosdam hac eadem fere voce clausit Ps. 2, 12. Ps. 84, 13. & 144, 15. breviter & dilucidè exponens, eum, qui timet Dominum, ei confidit, atq; hanc fidem bonis operibus probat, verè esse beatum, non beatitudine una umbratili aut fugitiva: sed omnibus, quæ possunt esse in hac & futura vita, 1. Tim. 4, 8. quas licet in hoc seculo pij non plenè percipiant, tamen earum gustum nunc etjam habent Ebr. 6, 5. & olim fruentur in æternum Joh. 16, 22. Sint itaq; opinione vulgi beati, quorum promptuaria plena, & in quorum plateis nulla est querela: Beatus revera est, cujus Jehova est Dominus Ps. 144. v. 13. 14. 15. etjam cum pauper est, luget, esurit & sitit justitiam,*

De summo bono variæ opiniones extra Ecclesiam.

In Ecclesia.

Verè beati.

persecutionem patitur: sicut Christus suam, quam in monte habuit, concionem itidem à Beatitudine vera incipit Matt. 5, 2 4.5. seqq. Sit itaq; hoc nobis solatio, quod beati simus & glorie-mur etjam in afflictionibus Rom 5, 3. Videndum igitur ut spiritualibus oculis hanc felicitatem contemplemur, non car-nalibus metiamur cogitationibus, quod jubet Ps. 37. & 73.

Refutantur Pontificij.

Inservit quoq; hæc vox refutationi Pontificiorum, qui bea-titudinem à nobis parari asserunt operibus bonis. Nam, ut o-mittam, quod ipsa vox non sine causa nusquam in Biblijs nisi constructa reperiatur, quis unquam ita perfectè malum fugit ut non aberret, & abierit in consilium impiorum, nec con-stiterit in via peccatorum? quis ita bonum appetijt, ut non nisi lege Jehovæ sit delectatus? Nemo sanè! Nam omnes de-clinaverunt Ps. 14. v. 3. Nemo igitur hoc pacto salvatur ex lege Rom. 3, v. 20. sed à Deo felicitas æterna nobis præpara-tur & donatur Es. 45, 17. Matt. 25, 34. Notandum itaq; hic non describi causam vel formam justificationis, sed tantum ingenium eorum, qui postquam gratis sunt justificati, in fide perstant, nec peccatis contra conscientiam eam repellunt, ut ita ex fructibus vera fides agnoscatur, quod similitudo ab ar-bore sumpta innuit: Unde patet fallac. caus. committi à Bel-larm. lib. 4. de Justif. c. 20. cum hinc probare contendit, ope-ribus nos fieri justos, quibus nos, qui justi sint, indicari sta-tuimus.

Unde fiat, quod pauci sint beati.

II. Quamvis Deus omnes homines velit salvari & ad a-gnitionem veritatis pervenire. 1. Tim. 2, 4. eamq; ob causam hanc beatitudinem in verbo omnibus offerat, tamen pleriq; homines sua culpa eam negligunt, & tantum quarta pars eorum, qui verbum audiunt, eidem obediunt Luc. 8, 1. 2. 15. Rom. 10, 16. 2. Thes. 1, 8. ut rari sint verè boni & defecerint veraces ex filijs hominum Ps. 12, 2. pauci sint, qui viam ar-

ctam in-

ctam inveniant & insistant Matt. 7, 14. adeò ut fere digito monstrari queant, quod ה emphaticum nomini hebræo præfixum significat. Sed tamen soletur nos, quod Christus ait: Noli timere grex pusille, quia placuit patri vestro dare vobis regnum Luc. 12, 32. & licet multi vocati venire renuant, tamen semper quidam sunt electi, qui felicitatem oblatam amplectuntur Matt. 20, 16. & 22, 14. Enitendum igitur nobis est, ut ingrediamur per portam angustam Luc. 13, 24. hac spe freti fore ut olim perveniamus in unitatem fidei & agnitionis Filij Dei in virum adultum ad mensuram plenæ staturæ Christi Eph. 4, 13.

III. Si quæras jam: Unde igitur hominum interitus? si Deus omnibus felicitatem offerat & vocet? Respondet Ecclesiastes: se invenisse, Deum fecisse hominem rectum: Ipsos autem quærere ratiocinia plurima Eccl. 7, 29. quæ hoc loco consilium impiorum nominantur. Cum enim aliàs animo inquieto & turbido sint, tum inprimis mala agitantur in hac vita conscientia; Unde cum à Deo se derelictos norint, qui pijs est murus igneus Zach. 2, 5. Ipsi suis consilijs securitatem sibi quærunt; sed frustra, ut suo exemplo docet Cain Gen. 4, 15. Solatio hoc pijs sit, quibus convenit quidem illud Pauli 2. Cor. 7, 5. Undiquaq; pressis exterius sunt pugnæ, intus pavores. Pax tamen Dei custodit corda & mentes eorum in Christo Jesu Phil. 4, 7. in quam sententiam plura Esa. 57, 9. habentur, improbis vero plane non est pax ibid. v. 24. & Ps. 14, 4. Non igitur irâ accendamur propter maleficos Ps. 37, 1. Non ducamus jugum cum infidelibus 2. Cor. 6, 12. neque communicemus operibus infructuosis tenebrarum Eph. 5, 11. cum hic beatus prædicetur, qui non ambulavit in consilio impiorum, qui vitat consortia prava 1. Tim. 6, 5. imo neq; ave impijs dicit 2. Epist. Joh. v. 10. Ex ipsis.

IV. Quam-

Impij in sua felicitate tandem pereunt.

IV. Quamquam aliquandiu florent impij & quæcunq; moliuntur, ad finem optatum perducunt, ita ut omnis eorum vita via facillima esse videatur Jer. 12,1. quâ perveniant ad opes, honores, voluptates: Unde à Christo via lata appellatur Matt. 7, 13. tandem tamen ad perditionem abducit ibid. Quam enim impietatem & injustitiam quasi agriculturam exercent, arant, seminant, tandem metent prov. 21, 2. 4. Job. 4,8. Hos. 10, 13. Sir. 7,3. Gal. 6, 8. prov. 22, 8. Lætemur itaq; in afflictionibus Rom. 5, 3. qui viam arctatam ingredimur Matt. 7, 14. dumq; in ea sumus, caveamus animum adjicere his, quæ nobis, dum peregrinamur à Domino, occurrant, quæ omnia sunt vana, & cum mundo transitura, sed quæramus civitatem manentem & thesauros in cœlis Ps. 39,13. & 119, 18. 2. Cor. 5, 6. Eccl. 12, 10 Ebr. 13, 14. Matt. 6, 20. Maximè vero videamus, ne in via peccatorum consistamus, sed sicubi in eam defleximus, flecti & reduci nos à Spiritu S. in viam rectam petamus & patiamur Ps. 139,24. & 143. 10. Ubi non indignæ sunt, quæ notentur, à Basilio M. *in hoc loco tres hujus comparationis à via desumptæ rationes: I. Ut in navi sive curru dormientes, vel ad tempus non attendentes ad portum & metam nihilominus deferuntur: ita vitam sæpissime ignorantes decurrimus. II. sicut illa omnia, quæ in via occurrunt, sive placeant, sive displiceant, mox à tergo relinquimus: ita in vita tandem omnia deserimus. III. sicut eandem viam modo hic, modo alius ambulat: ita hanc vitam & mundi bona modo hic, modo alter possidet, nemo autem semper retinet.*

Pij in sua afflictione salvantur.

Cur vita cum via conferatur

V. In illis, qui hactenus fuerunt enumerati, peccatorum gradus, spes veniæ restat: Qui vero sequitur, complectens Derisores, planè desidentes improborum in cathedra, omnem spem veniæ, quamdiu tales sunt, præcidit: Nempe cum non tantum in peccandi curam data opera incumbant, sed etiam laudem

Obstinati Dei derisores, quamdiu tales, non salvantur.

laudem quærant: Verbum Dei, imo Deum omnesq; pios, summo habeant ludibrio, atq; ita conversionis media extremè contemnant: Unde factum est, ut hoc peccatum, quod dicitur in Sp. Sanctum, ab omnibus his committi nonnulli statuerint, (quibus tamen non per omnia astipulor) quod non remittitur in hoc aut futuro seculo; non quod tanta in Deo non sit misericordia, sed quod nulla sit in homine pœnitentia. Matt. 12, 31. 1. Joh. 5, 13. Idcirco cum peccavimus, cum in consilio impiorum ambulavimus, dum in via peccatorum substitimus & de peccatis his dolemus, id soletur nos, spem veniæ superesse, modo ne pertinaciter sedeamus in delusorum cathedra, nec in peccatis obstinatè perseveremus usq; ad vitæ finem. Hinc LXX. לצים λοιμούς, id est, pestes, reddiderunt, ut noverimus cane & angue pejus illos vitandos, quippe qui doctrinâ & vita nocent 2. Tim. 2, 17. quibuscum nunquam se consedisse gloriatur David Ps. 26, 4. 5. & Jerem. 15, 17. λοιμοί.

Ex v. 2.] I. Discimus quænam sit vera & non fucata pietas, videlicet quod non sufficiat recedere à malo, sed etiam requiratur ut faciamus bonum Ps. 34. v. 15. & 37, 27. Amos 5. 15. Unde Esa. 1. 16. non tantum dicitur Israelitis, amovete malignitatem actionum vestrarum, & desinite malefacere, sed v. 17. subjicitur: Discite benefacere, quærite jus. Cum autem hic non requiratur, ut totam legem impleat, sed tantum ut delectetur pius, consolationem simul suppeditat, modo nos velimus, eum qui dedit velle, etjam perfecturum Phil. 1, 6. & 2, 13. Et quanquam in nobis reperimus aliam legem rebellantem legi mentis nostræ, ingemiscentes cum Paulo: Miser ego, quis me liberabit ex isto corpore mortis?. Tamen solemur nos cum eodem Rom. 7, 23. seq. quod lex Spiritus vitæ, qui est in Christo Jesu liberabit nos à lege peccati & mortis, Non sufficit mala omittere, sed oportet bona facere. Pius delectatur lege, non plane eam facit.

ut jus illud legis compleatur in nobis Rom. 8, 2. seqq. Christus enim venit, ut impleret legem Matt. 5, 17. qui delectatus est, ut faceret voluntatem Dei, & in cujus visceribus lex Dei erat, Ps. 40, 9. Liberati vero per Christum à maledictione legis Gal. 3, 13 non peccemus, liberati à peccato & servi facti justitiæ Rom. 6. 18. Licet enim non simus sub lege, tamen sumus in lege, μὴ ὄντες ἄνομοι θεῷ, ἀλλ' ἔννομοι χριστῷ *1. Cor, 9, 21.*

Dei Lex est norma omnium bonorum operum.

II. Docemur, cum is pronunciatur felix, qui delectatur lege Dei, & in eâ meditatur, quænam sit omnium verè bonorum operum & studiorum pij norma, non mandata seniorum, non bona intentio Esa. 29, 13. Matt. 15, 9. sed lex Domini, qui sic populum suum alloquitur: Quodcunq; præcipio tibi, hoc facito: Nec addas quicquam, nec minuas ex eo. Deut. 12, 32. Ezech, 20, 19. ἐθελοθρησκείαι, *& ea opera, quæ bona intentione sine Dei mandato suscepta sunt, semper sunt damnata Exod. 32, 5. Zach. 7, 5. Matt. 6, 23. Custodiamus igitur & faciamus, quæ præcepit Dominus Deus nobis, non declinemus, neq; ad dextram, neq; ad sinistram Deut. 5, 32. Suppeditat hic locus etjam* ἔλεγχον *contra pontificiorum traditiones non scriptas, quæ non sunt lex Domini, & de quibus rectè usurpamus illud Apoc. 22, 18. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.*

In verbi divini studio est beatitudo.

III. Commendatur juge verbi divini studium, quod præcipitur pijs omnibus Deut. 6, 7. seqq. in quo vera beatitudo consistit Joh. 5, 39. & 17, 3. & 20. v. 31. Hac enim notâ ab hypocritis distinguuntur verè pij, quod illi plerumq; de die in aliorum præsentia; hi verò etiam de nocte soli de lege Dei loquuntur.

Lux id est prosperitas.

Quod allegoricè ita interpretari licet, ut quia in scriptura vox Lucis pro prosperitate sæpè accipitur Esth. 8, 16. Ps. 118, 27. & 112, 4. dicamus pium tam rebus secundis, quam adversis Deo ejusq; verbo niti, promissionesq; ejusdem

ejusdem meditari: Nisi enim lex Domini (promissiones Evangelicæ) eorum essent gaudium, perirent in afflictione suâ Ps. 119, 92.

Refutantur ex hoc loco primùm Enthusiastæ, *qui scripturæ meditationem parvi faciunt, & contrà raptus cœlestes expectant: Non enim ad hos remittit nos Spiritus Sanctus, sed potius ad legem Jehovæ Es. 8, 20. ut eam meditemur, exemplo Davidis de se profitentis Ps. 119, 15. de mandatis tuis Jehovæ meditor, & intueor semitas tuas; in statutis tuis meipsum oblecto, non obliviscor verbi tui.* Raptus cœlestes non sunt expectandi.

2. Pontificij, *qui Laicos à scripturarum lectione arcent. Cum enim hic unusquisq; qui in lege Dei meditatur die ac nocte, beatus vocetur, quo jure ad solos clericos, verbi divini lectio pertinere poterit? Cum etjam magistratui injungatur ijsdem verbis, quibus hoc loco Psaltes utitur Josu. 1, 8. & paullùm diversis Deut. 17, 18. Nec in Eunucho Candaces Æthiopum reginæ Act. 8, 28. nec in Berrhoensibus generosioribus Act. 17, 11. à spiritu sancto improbetur.* Nec laici à scripturæ lectione arcendi.

Ex v. 3.] *I. Exsimilitudine, quâ pius confertur arbori plantatæ ad rivos aquarum, docemur de Regeneratione & sanctificatione nostra. Sicut enim hæc arbor nihil à se ipsa habet, nec sibi, sed alijs eo, quod habet, prodest, in horto irriguo non sponte sata; sed cura & industria hortulani ex sylva illata, vel ex surculo aliunde decerpto producta fructus edit justo tempore: Ita etjam pius, naturâ malus Luc. 11, 13. Sap. 12, 10. filius & vas iræ Eph. 2, 3. Rom. 9, 22. velut ficus inutilis & infrugifera Luc. 13, 6. Oleaster Rom. 11, 17. arbor exscindenda & igni injicienda Matt. 3, 10. nihil ex se potest Joh. 15, 5. sed quicquid habet 1. Cor. 4, 7. à Deo habet, à quo velle ei datur Phil. 2, 13. cum mortuus est in peccatis, vivificatur Eph. 2, 1. 4. à quo, cum nequeat accedere, attrahitur Joh. 6, 44.* Pius in quibus possit conferri cum arbore.

Cant. 1, 4. adducitur Joh. 10, 16. Christo arbori vitæ Apoc. 2, 7. Col. 3, 4. & veræ viti Joh. 15, 1. inseritur, & à Patre implantatur Matt, 15, 13. operâ ministrorum suorum 1. Cor. 3, 6. per verbum & sacramenta regeneratur 1. Pet. 1, 23. Tit. 3, 5. aquâ vitæ rigatur Apoc. 22 v. 1. Es. 12, 3. Spiritu Sancto donatur (qui etiam aquæ nomine designatur Es. 44, 3. Ezech. 36. 25.) Tit. 3, 5. 6. ut fructum ferat Deo Rom. 7, 4. in omni bono opere Col. 1, 10. tempori, quamvis malo Eph. 5, 16. & angusto 1. Cor. 7, 29. inserviat Rom. 12. v. 11. oportunitatem redimat Eph. 5, 16 ferat fructum suum, pro dono, sibi à Deo concredito Mat. 13. v. 23. & 25, 15. pro mensura sibi data Rom. 12, 3. 1. Cor. 12, 12. pro vocatione sua 1. Pet. 4, 15. Hæc autem omnia non suæ gloriæ inanis gratia, sed in laudem Dei præstet Matt. 6, 2. & 5, 16. Pet. 2, 12. 1. Cor. 10, 31. & proximi utilitatem 1. Cor. 10, 24. Phil. 2, 4. ut quisq; accepit donum, ita alius in alium illud subministrantes, ut boni dispensatores variæ gratiæ Dei 1. Pet. 4, 10.

Usus hujus comparationis in doctrina.

II. *Suppeditat hæc similitudo (1.) admonitionem, videndum esse, ne gratiam Dei frustra accipiamus 2. Cor 6, 1. sed plantati in atrijs Domini fructus feramus, quod nisi fecerimus, futurum esse ut exscindamur & in ignem conjiciamur Matt. 3, 8. & 7. 19. Joh. 15, 6. Quò pertinent ea, quæ sunt apud D. Gesnerum. Deus vult nos esse arbores, non volucres cœli, ut radices ad cœlum vertamus, aliàs exarescemus. Ita scrutantes curiosè Dei majestatem, igne ejusdem conflagrabunt. Ut arbor accipit imbrem & fructum & inde fert fructum: Ita qui imbibunt rorem cœlestis verbi fructificant inde, contrà decrescunt & sterilescunt, qui vel non recipiunt vel statim transmittunt.*

Consolatione.

(2.) *Consolationem, quod qui Christo per baptismum insertus est & fructum fert, à Deo Patre purgetur, ut plus fructuum*

ctuum ferat Joh. 15, 2. ut oliva virens in domo Dei benignitati Dei confidit in seculum & sempiternum Ps. 52, 10.

(3.) Ελέγχον *contrà Pontificios, qui hominem non renatum se ad gratiam Dei applicare per se statuunt: Quantum enim arbor potest in loco sicco constituta ad sui transplantationem & irrigationem: Tantum etjam homo peccator ad sui conversionem. Ut vero Æthiops non potest mutare cutem suam nec pardus maculas: Ita non potest benè facere homo edoctus malè facere Jer. 13, 23. sed si bonos fructus edere debeat, necesse est, ut eum Dei gratia præveniat Ps. 79, 8. Agamus igitur Deo gratias cum Paulo ex Eph. 1, 4. 5. 6. 7. transferentes ad sacrum usum epigramma profanum, sicut olim Judæi spolia Ægyptijs ablata ad templi sancti ædificationem. Extat illud lib. 1.* Ανθολ. *cap. 20.* Ελέγχῳ.

Η πάρος ἐν δρυμοῖσι νόθης ζείδωρος ἀρούρης
Αχρὰς, θηροβότου πεέμνον ἐρημοσύνης
Οθνείοις ὄζοισι μετέμφυτος, ἥμερα θάλλω,
Ουκ ἐμὸν ἡμετέροις κλωσι φέρουσα βάρος.
Πολλή σοι φυτοεργὲ πόνου χάρις. ἕινεκα σεῖο
Αχρὰς ἐν ἐυκάρποις δένδρεσιν ἐγγράφομαι.

Fertilis in silvis fructus nothi eram antè pyraster
Robur deserti pascitur unde fera.
Insita jam ramis alienis germino mitis,
Nec nostris ramis nostrum onus inde fero.
Insitor hoc propter tibi gratia multa, pyraster
Propter te adscribor mitibus arboribus.

II. Cum dicitur folium ejus non defluit, discimus quanta sit Dei de pijs cura, qui quidem est salvator omnium, maximè vero fidelium 1. Tim. 4, 10. Ideoq; benedictus est vir ille, qui fiduciam habet in Jehova. Nam erit similis arbori plantatæ secundum aquas mittenti radices suas, quæ non sentit, Deus curas pios.

cum advenit æstus (tribulationis) sed sunt folia ejus virentia neq; desinit, quin faciat fructum Jer. 17, 7. 8.

Solatio hoc est pijs, quod quamdiu in fide (per quam in virtute Dei custodiuntur 1. Pet. 1, 5.) & bonitate permanserint fundati & stabiles Rom. 11, 20. Col. 1, 22. certi de gratia Dei & paterna ejus cura esse possint, cum hic etjam capillos capitis ipsorum numeraverit Matt. 10, 30. Folium enim defluere illi inscriptura dicitur, qui in calamitatibus animum abjicit & planè concidit. Es. 1, 30. eritis similes quercui defluenti folio suo & 34, 4. totus exercitus eorum decidet ut folium è vite & 64, 10. diffluimus velut folium omnes nos.

Pietatis præmium.

III. Pietati præmium longè maximum proponitur, in illis verbis: quidquid facit, prosperabitur: prosper videlicet in rebus omnibus & operibus vocationis successus Ps. 111, 10. quem in Josephi Gen. 39, 2 & Regis Hiskiæ historiâ 2. Reg. 18, 7. observare licet. Monemur vero hoc ipso, cum videamus in hac vita non uti pios semper in rebus suis (ut caro judicat) successu prospero, ne statim animis concidamus, cum hic promittatur certissimè futurum, ut pijs tandem benè sit, quia justus judex retribuet unicuiq; secundum opera sua Rom. 2, 6. seqq. Psal. 37, 7. 37.

Impiorum infelicitas.

Ex vers. 4.] I. Ex apposita conditionis impiorum descriptione constat de infelicitate impiorum, & notandum longè aliud Dei, & hominum Spiritu Dei præditorum de mundi felicitate esse judicium quam eorum, qui intellectum tenebris habent obscuratum Esa. 55. v. 8. 9. Ps. 73, 16. His enim impij videntur arbores indigenæ virentes magna vi erumpentes, & sese explicantes Ps. 37, 35. sed pij quanquam nonnunquam

Prosperitas fluxa.

diu prosperitatem eorum coguntur adspicere Ps. 73, 3. Tandem tamen, cum quærunt eos, non amplius inveniunt Ps. 37, 36. quia Jehova demolitur eos, eradicatq; è terra viventium Ps. 52. 7.

Ps. 52. 7. Mundus quidem sentit, eventum eundem esse justo & improbo, bono sive mundo & immundo Eccl. 9, 4. 5. sed Spiritus Sanctus longè aliter hic pronunciat. Quemadmodum enim impij non dant fructum suum in tempore suo, sed sunt ficus steriles, tantùm foliis ornatæ, & hypocritæ pietatem simulantes Matt. 21, 19. vites infrugiferæ Esa. 5, 2. seq. mutatæ in degeneres palmites vitis alienæ Jer. 2, 21. tantùm terram reddentes inutilem & otiosam Lucæ 13, 7. Ita etjam non prosperabitur, quicquid faciunt Jer. 2, 37, sed ipsi ut arbor inutilis exarescunt Matt. 21, 19. ad cujus radicem securis posita est Matt. 3, 10. ut exscindatur Luc. 13, 7. & in ignem conjiciatur Matt. 7, 19.

11. Consolationem hoc pijs suppeditat in tentationibus illis, cum vident impios rebus uti secundis, quibus non sunt nexus usq; ad mortem, nec sunt in labore mortalium Ps. 73, 4. 5. audiunt enim maximè instabilem caducam & fluxam esse hanc eorum felicitatem Job. 15, 20. Psal. 37, 38. quorum portio tantùm est in hac vita, quorum ventrem Deus implet recondito thesauro suo ut satientur Ps. 17, 14. qui sæpe etjam in hac vita gravissimis & inopinatis obruuntur casibus: Nam sicut fœnum citò exscindentur, ut viriditas tenera herbæ citò decident Ps. 37, 1. Quod sequenti similitudine glumæ Spiritus Sanctus indicare voluit, ut merito exclamet Job. 21, 17. 18. quoties lucerna impiorum exstinguitur & supervenit eis interitus ipsorum, toties sunt ut palea coram vento, & ut gluma, quam surripit turbo. confer Es. 17, 13. Psal. 83, 14. Tolluntur in altum, (scribit Poëta) ut lapsu graviore ruant. in quam sententiam apud Aristotelem *lib. 2. Rhetor. c. 23. extant hi senarij*

Quæ illis non debet invideri.

Claudianus.

Πολλοῖς ὁ δαίμων ὧν κατ' ἴχνιον φέρων

Μεγάλα

Μεγάλα δίδωσιν ἐυτυχήματα, ἀλλ' ἵνα
Τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας.

Impij tandem percunt.

Ex vers. 5.] I. *Cum impij nequeant resurgere in judicio illo, monemur de æterno eorum, nisi resipuerint secuturo exitio. Quando enim Christus perpurgabit suam aream & coget triticum in horreum, ipsos tanquam paleam exuret igni inextinguibili Mat. 3, 12. & in consummatione seculi mittet filius hominis angelos suos, velut messores, qui colligent ex ipsius regno omnia Zizania, omnia offendicula & eos, qui dant operam transgressioni legis, projicientq; eos in fornacem ignis Matt. 13, 40. seqq.*

Pij cum Christo manent.

II. *Consolationem continent illa verba (in coetu justorum) Quia enim hi in hac vita plerumq; dispersi Act. 8, 4. solantur se olim cum Christo habituros firmam sedem & mansionem Joh. 14, 2. & πολίτευμα Phil. 3, 20. Mat. 24 30. 31.*

Homines damnantur ob incredulitatem.

III. Ελεγχ& *in particula (propterea) habetur. Non enim ut Calviniani blasphemant, Deus absoluto & libero voluntatis suæ proposito maximam hominum partem æterno exitio devovit: sed eos condemnat propterea, quod non credunt in nomen filij Dei Joh. 3, 18. propterea quod tenebras magis dilexerunt quam lucem v. 19.*

SECUNDA PARS.

Confirmatio.

Vers. 6.] *Hactenus propositio: Bonis tandem benè, malis vero malè futurum, declarata est: sequitur nunc confirmatio & ἀντιθετικὴ causarum explicatio, quod particula* כִּי *hoc loco causalis indicat, ut series contextus satis arguit.*

Bonos Jehova juvat.

Propterea *enim pij erunt beati, quod* Jehova *providentissimus Pater & sanctissimus judex Ebr. 11, 40. 2. Tim. 4, 8. per suam justitiam non potest aliter, quin* agnoscat, *procuret, acceptam*

acceptam habeat viam *mores, ingenium, institutum, studium,* atq; adeò *totam vitam eorum qui quidem non planè sunt* ἀναμάρτητοι, *sed* justi *(1.) justitia Christi imputata 2. Cor. 5. 21. Rom. 4, 2. (2.) vivendi proposito, quo justitiæ dant operam Luc. 1. v. 6. (3.) Comparatione cum impijs facta Gen. 6, 9. Hos non tantum notitia scientiæ, sed potissimum approbationis & dilectionis Deus agnoscit: Ita enim verbum* יָדַע *apud Ebr. & apud Græcos* γινώσκω *sæpe in scriptura accipitur non de otiosa cognitione in mente, sed de ea, quam sequuntur affectus in corde: & effectus in opere, & nosse, est eum, quem noveris, amare eiq; bene velle, commodorumq; ejus rationem habere: Ita Deus cognoscit bona & mala per scientiam: Bona vero tantum per approbationem. Unde ea inprimis nosse dicitur, quæ probat. Sic hæc vox accipitur Ruth. 2, 10. Inveni gratiam in oculis tuis, ut agnoscas me Ps. 37, 18. agnoscit Jehova tempora integrorum prov. 12, 9. novit justus vitam jumenti sui (prospicit, juvat) prov. 29, 7. novit justus causam tenuium Rom. 7, 15. Quod perpetro, non novi Matt. 7, 23. nunquam novi vos 2. Tim. 2, 19. Novit Dominus suos (stabilit in fide, ut patet ex antithesi.) Vocabulum vero viæ pro vivendi modo accipi supra v. 1 probatum est. Sed quemadmodum contraria erant piorum & impiorum studia, ut suprà vidimus, contraria etjam sui laboris consequuntur præmia. Nam ut pios Deus amore, sic impios odio prosequitur, cum non sit Deus, qui delectetur improbitate, apud quem non est commoraturum malum, qui odit omnes, qui operam dant iniquitati Ps. 5, 5. 6. Via igitur* improborum *quicquid faciunt & moliuntur, tandem* peribit *cum ipsis, siquidem ex æquo sunt exosa Deo, & qui facit impiè & impietas ipsius. Etenim quod factum est, cum eo, qui fecit, punietur Sap. 14, 9. 10.*

יָדַע γινώσκω.

Notitia approbationis.

Via improborum peribit.

Notandum vero, quod utrumq; membrum sit ἀναπαιστόδοτον, Metalepsis.

ideoq; in eo metalepsis statuenda. In priori ponitur causa, reticetur eventus : In posteriori ponitur eventus, & reticetur causa : Suppleri autem potest sequente paraphrasi : Deus novit curat & fovet pios, ideoq; securi sunt ab omni ruina, & de salute suâ æterna certissimi. Contrà quia Deus dicta & facta impiorum haut probat, ipsi cum sua malitia tandem peribunt, licet aliquandiu florere videantur, quandoquidem quies fatuorum interficiet eos, & tranquillitas stolidorum perdet eos Prov. 1, 32.

LOCI COMMUNES.

Beatitudo est à Jehova.

I. DIscimus, *unde Beatitudo nobis contingat, videlicet à Jehova, qui viam & studium benefaciendi probat, juvat, tuetur : Imo qui dat velle & perficere Phil. 2, 14. non enim est volentis neq; currentis, sed miserentis Dei Rom. 9.*

datur etiam infirmis in fide.

16. à quo omne donum perfectum Jac. 1, 17. Consolatio *hinc erui potest ea, quod Deus, ut fidem primum ex mera gratia donat Phil. 1, 29. ita etiam infirmos nos in fide assumat Rom. 14, 1. calamum quassatum non conterat, & linum fumigans non exstinguat Esa. 42, 1. Et licet in hac vita ad metam perfectionis non perveniamus; sed tantum curramus in via pietatis, si quomodo apprehendamus, cujus rei causa apprehensi sumus à Christo Phil. 3, 12. 1. Cor. 9, 24. tamen beatos nos esse credamus integros viâ, quia ambulamus in lege Jehovæ Ps. 119, 1. Quoniam vero Dominus probat viam justorum, & improborum abominatur, caveamus ne seramus in sulcis injustitiæ, neseptuplum eorum metamus Eccl. 7, 3. sed reducamus nos ad altissimum, & convertamus ab injustitia. Nam ipse dux futurus est à tenebris ad illustrationem salutarem Sirac. 17, 21.*

Et caventibus scelera.

II. *Refutantur hinc Pontificij, qui nos mereri & justificari ho-*

cari bonis operibus putant. Quum enim ea non tantum sint debita Luc. 17, 10. imperfecta & peccatis polluta 1. Reg. 8, 46. quia nemo homo est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet Ecc. 7, 10. sed etiam in conspectu Dei res abominandas, si videlicet in se considerentur Es. 64, 6. omnes orare necesse habemus: Domine, ne congrediaris judicio cum servo tuo. Nam non esset justus coram te ullus vivens Ps. 143, 2. Opera itaq; nostra & justitiam, quæ est in lege, cum Apostolo ducamus pro stercoribus, ut lucrifaciamus Christum, & comperiamur in eo, non habentes nostram justitiam, quæ est ex lege, sed eam, quæ est per fidem Christi Phil. 3, 6. 8. 9. Quod enim hoc loco per vocem צדיקים non intelligantur, qui perfectè, habitualiter & inhæsivè sunt justi, satis liquet exprædentibus cum sint transplantati & regenerati à Deo Joh. 3, 3. Justi sunt coram Deo imputativè, cum non ita impij se habeant v. 4. justi habentur coram hominibus comparatè cum in illo judicio, extremo videlicet, congregationem demum stabilem sint habituri v. 5. Et hæc pia eorum vita tantum sit via v. 6. justi sunt inchoativè, ut loquuntur in hoc articulo Orthodoxi,

Nostris operibus non justificamur.

צדיקים quinam hoc loco.

III. Docemur, unde sit infelicitas & exitium æternum impiorum, non ex Dei nudo & libero beneplacito, sed ex ipsa via eorum mala, quam diabolo & carne sua ducibus ingrediuntur Ose. 13, 9. Mat. 7, 13. 1. Joh 2, 16. Apoc. 12, 9. Deus quidem non delectatur morte morientis, sed vult, ut avertat se à defectionibus suis & vivat Ezech. 18, 30. Ipsi vero mali, quando eos invitat, renuunt, quando extendit manum non attendunt Prov. 1, 24. quando eos congregaturus est, nolunt Matt. 23. 37. Merito itaq; suo pereunt Rom. 6, 23 morte non tam temporali, quàm æterna & secunda: quando qui non sunt inventi in libro vitæ, projiciuntur in stagnum ignis Apoc. 20, 14.

Exitium improborum ex ipsis.

Nam hæc est definitiva summi judicis sententia, ut prodeant, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis Joh. 5, 29. Matt. 25, 46. Dan. 12, 2.

PROBLEMATA.

An mulieres à beatitudine excludantur.

I. Quæri ex v. 1. potest, ut monet Basilius M. cum vir dicatur Beatus, an eo ipso à beatitudinis consortio excludantur mulieres. Resp. ille, nequaquam. una enim est virtus viri & mulieris: siquidem creatio utriusq; paris conditionis & honoris Gen. 1, 27. quorum itaq; natura una, eorum etjam operationes eædem, eademq; merces: Et Spiritui Sancto satis fuit virum tanquam caput mulieris hoc loco nominasse, ut ex digniori totum ostenderet. Resp. 2. vocabulo אִישׁ *non semper sexum virilem designari, sed sæpè generaliter pro homine poni, ut in N. T. ex idiotismo hebræo Matt. 12, 41.* ἄνδρες Νινευῖται *dicuntur qui Jon 3, 8 & 4, 8. homines vocantur. Sæpe particulæ universalis vel distributivæ vim habere in scriptura, quomodo non tantum cum voce* כֹּל *cognationem habet, sed etjam pro ea ponitur, Mich. 6, 10. 2. Sam 14, 19 Prov. 18, 24. ut sit sensus hujus loci: Beatitudines unicuiq; sunt, qui non ambulant, &c. Quod enim fœminæ sint æternæ beatitudinis hæredes futuræ, expressè docetur 1. Pet. 3, 6 & non est amplius masculus & fœmina: sed unus sunt in Christo Jesu Gal. 3, 28.*

אִישׁ est vocabulum generalius.

Cur Spiritus Sanctus toties adhibeat similia.

II. Quæri potest ex v. 3. Cur Spiritus Sanctus toties similibus ex rebus terrenis petitis utatur in rebus spiritualibus & cœlestibus declarandis? Resp. ob seqq. causas (1.) propter nostram imbecillitatem & in rebus spiritualibus puerilem captum. Nam si, cum terreno more ita loquitur, non credimus, quo-

mus, quomodo, si cœlesti modo proponeret, crederemus Joh. 3, 12. Augustin. lib. 1. de Trin, c. 12. *Nullo locutionis genere utitur S. scriptura, quod in consuetudine hominum non invenitur, quia utiq; hominibus loquitur. Deus igitur nostri misertus nobis veluti condescendit, & se ad nostrum captum accommodat, velut præceptor fidus parvulorum rationem habet Deut. 1, 31. 1. Cor. 3, 2. unde jubet, Prophetæ scribant suas Prophetias perspicuè ac stylo humano, ut quivis rudissimus eas legere atq; intelligere queat Deut 27, 8. Es. 8, 1. Habac. 2, 2. & Apostolus propter infirmitatem lectorum humano more de rebus divinis se loqui affirmat Rom. 3, 5. & 6, 19. Gal. 3, 15.* (2.) *Ut piorum mentes à terrenis ad spiritualia semper abducat, & totum mundum quasi παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας proponat* Basil. M. homil. 1. Εξα. Augustin. l. 1. de Trin. c. 1. *Ex rebus quæ in creatura inveniuntur, solet scriptura divina velut infantilia oblectamenta formare, quibus infirmorum ad quærenda superiora & inferiora deserenda pro suo modulo tanquam passibus moveretur affectus.*

An hinc probetur continua sanctorum omnium perseverantia.

III. *Quæritur v. 3. ex verbis,* Et folium ejus non decidet: *Num Calviniani illis rectè possint probare suum istud dogma, quo peccatis gravioribus contra conscientiam perpetratis fidem non amitti contendunt. In quam sententiam ea verba citat, & q. in acie collocat* Sohnius in Exegesi August. Confess. art. 18. & Amand. Polan. in Syllogethesium Theol. in priori disput. de fide R *Negamus, adducti serie contextus & fidei analogia: Ex illa enim satis liquet quod loquatur hic versus de eo, qui in pietate persistit & non abijt in consilio improborum, sed lege Domini delectatur, cujus viam Dominus probat: Hic enim est velut arbor bona in fide radicata Col 1, 21. qui fructus malos non facit Mat. 7, 17. Ideoq; & ijs fidem non amittit, cum quæstio sit de eo, qui fide*

aliquamdiu neglecta peccatis contra conscientiam indulget. Juxta hanc vero ex Jerem. Propheta c. 17, 8. phrasin illam exponimus, non de fide, de qua quærimus, sed de constantia pij in æstu calamitatis. Quod vero peccatis contra conscientiam amittatur fides & Spiritus Sanctus, ipse Calvinianus *agnoscere videtur cum* lib. 2. instit. c. 2. sect. 25. *scribit: David rectum Spiritum, quem sua culpa perdiderat innovari petit, quia ejusdem Dei est, qui initio dederat, ablatum nobis ad tempus restituere.*

Calvini testimonium.

לֹא יָקֻמוּ רְשָׁעִים An tantum justi resurgant. Vide R. D. K. in hoc loco & Ps. 22. v. 30.

IV. Quæstio oritur ex v. 5. Num ex illis verbis לֹא יָקֻמוּ רְשָׁעִים Judæi & Origenes *fundamentum & probationem sui erroris rectè petant, quo putant tantum justos in extremo die resurrecturos, non vero impios? Resp. (1) Neg. Quia cum alijs in locis scriptura expresse non tantum pios ad vitam, sed etiam impios ad judicium resurrecturos affirmat Matt. 25, 46. Joh. 5, 29. Dan. 12, 2, Act. 24, 15. hic locus juxta analogiam fidei, non contra eam, erit exponendus. Resp. (2.) Quia est fallac. homon. in* יָקֻמוּ *cujus vis qua nituntur potissimum,* קוּם *hoc asserere non cogit.* קוּם *enim non tantum surgere & resurgere, verum etiam exsurgere, & quidem per metalepsin, ita ut possis & audeas stare, significat. Ita hoc loco impijs non tam resurrectio, quam exsurrectio ad gloriam denegatur. Resurgunt enim ut in illo judicio cadant, reviviscunt, ut æternum moriantur: Atq; ita hoc modo de resurrectione gloriosa ad vitam æternam* κατ' ἐξοχήν *intelligendum est, cum dantur pij digni, qui seculum & resurrectionem ex mortuis consequantur Luc. 20. v. 35. & cum Paulus resurrectionis fundamentum Christi piorum capitis resurrectionem statuit 1. Cor. 15, 12 &c. Si quis vero nihilominus pertinaciter vocabulum* יָקֻמוּ *urgeat, committit tamen fall. à dicto secundum quid ad d. s. non enim Psalmus simpliciter negat impios resurrectu-*

surrecturos, sed non resurrecturos, nec constituros dicit in cœtu justorum *sed potius dæmonum Matt. 25, 41. Hieron. hoc loco ita scribit: non quia non resurgent, sed quia in judicio non resurgunt. Jam enim de his præjudicatum est Joh. 3, 18. Mihi tamen prior sententia se magis probat, eaq; ex verbo opposito* נָפַל *potest illustrari. Vide quædam* in Exercitationibus biblicis pag. 49. & 50.

ENARRATIO PSALMI SECUNDI.

CUm argumentum Psalmi hujus tradi rectè neque-at, antequam constet, de quo loquatur, statim in initio hoc considerandum venit. Tres *vero potissimùm* dissidentes opiniones *hic occurrunt, quarum* prima *est* Judæorum recentium, *qui de solo Davide Psalmum agere existimant.* Secunda Calvini *quicum sentit* Musculus, Paræus, Tossanus *& alij, qui eum primariò, propriè & secundum literam de Davide; secundariò vero & subtypi ratione de Christo interpretantur.* Tertia Veterum Hebræorum *& Patrum, qui exponunt hunc Psalmum de rege Messia, in Prophetis & Psalmis promisso: Quam sententiam nos ut veram amplectimur, & hoc vaticinium illustre de* JESU CHRISTO, *Deo & homine, Rege, Propheta & Sacerdote Ecclesiæ, propriè accipimus.*

Argumentum quodnam ejus sit, inquiritur.

Galatin. l. 3. c. 7. Heluic. El. Jud. 2. claf. 3.

Opinio Judæorum erroris convincitur *ex ipso Psalmo, 1. quia*

Non, quod volunt Judæi

recentiores. mo, l. quia David non est filius Dei naturalis patri ὁμοούσιος v. 7. II. nec ejus hæreditas fuit ad terminos terræ v. 8. III. Nec est is filius, in quem credere, & per quem salvari homines oporteat v. 12.

nec quod Calvinus. Explicatio Calvini refellitur testimonijs quatuor N. T. certissimis, quæ tantum de Christo locutum esse Spiritum S per os Davidis in hoc Psalmo evincunt. Eorum I. est Apostolorum, dum Act. 4. v. 25. 26. versus hujus Psalmi duos priores de JEsu interpretantur v. 27. contra quem revera congregati sunt in passione Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël. II. Est Pauli Act. 13. 33. qui versum 7. hujus Psal. ad probandam resurrectionem JESU CHRISTI ex Personæ identitate divinæq; naturæ veritate, citat. III. Epistolæ ad Hebr. qui eundem versum c. 1. v. 5. 6. accipiendum esse docet de filio Dei, qui est hæres omnium, per quem mundus est creatus, cujus humana natura ad dextram Dei collocata & præstantior Angelis est. IV. est D. Johannis, qui versum 9 ad Christum refert Apoc. 2. v. 27 & 19 v. 15.

Sed quod Spiritus S. Nostra sententia ijsdem his, quibus Calvini refutatur, probatur testimonijs. Cum enim scriptura non sit propriæ explanationis 2. Pet. 1. v 20. neq; nostrum erit, quod SS. in N. T. citatis locis in Christo completum esse vaticinium disertè docet, ad alium quempiam propriè referre, præsertim cum hic Unctus, de quo Psalmus agit, sit ipse Jehova & filius Dei v. 7. 11. 12. quod de Davide, aut alio homine propriè accipi nequaquam potest. Nobiscum ex Calvinianis sentiunt cum alij plures, tum inprimis Rodolphus Gualtherus in Psalmi hujus explicatione. Franciscus Junius lib. 1 parallelorum parall. 91, & 95.

Id exponitur. Cum igitur de Christo loquatur Psalmus præsens, ut evicimus, proximum est, ut Argumentum ejus & summam videamus,

deamus, quæ est: *Vanos esse impiorum, Deo ejusq; filio* JESU *Christo se opponentium, conatus, eò quod Deus sit non tantum ab ipsorum violentia tutissimus, sed etjam ad eam retundendam & vindicandam potentissimus: id quod in regni à se constituti amplificatione & conservatione demonstrat. Ideoq; satius est, ut impij à sua desistant rebellione, ne planè pereant.*

Finis *verò Psalmi præcipuus est, ut fideles in Deo conquiescentes consolationem habeant in suis calamitatibus, à quibus se certò liberatum tandem, & salvatum iri hic confirmantur, ut suo exemplo Apostoli persecutionem patientes, dum hoc Psalmo se erigunt, indicant Act. 4. v. 24.* Finis.

Partes *sunt* tres: *Propositio, Confirmatio & Conclusio.* Ἀνάλυσις.

Propositio *est: Mundus regnum Dei oppugnat frustrà: cujus* subjectum *per partes explicatur v. 1. 2.* Prædicatum *declaratur factis v. 1. 2. & dictis v. 3. ejus determinatio in fine v. 2. ponitur.* Propositio.

Confirmatio *argumenta continet duplicia: Unum genus est ex persona Dei: alterum ex conditione regni illius desumptum. Illud duo suppeditat. I. Quia ridetur à Deo longanimi securè v. 4. II. Quia perturbatur à Deo irato severè v. 5. Hoc etjam duo argumenta ponit. I. quia est à Deo ipso hoc regnum constitutum. II. Quia ejus rex v. 6. est Dei filius naturalis. v. 7. potentissimus ad salvandum suos subditos morigeros v. 8. & perdendum eorum hostes v. 9.* Confirmatio.

Conclusio *Rhetorum more colligenda relinquitur, & ejus loco hortatio hæc instituitur: Cum itaq; frustranea sit vestra oppugnatio, desistite & in melius convertite mentes v. 10. colite deinceps regem vobis à Deo constitutum, v. 11. quæ porrò illustratur* παραινέσει *& rationibus confirmatur, desumptis à vitatione mali, quod impendet, si pergunt in proposito: & consecutione boni, quod obveniet, si desistunt v. 12. En Syllogis-* Conclusio.

mis ista inclusa. I. Qui ridetur à Deo, facileq́ retunditur ab eo, frustra regnum Dei oppugnat. Mundus impius ridetur & facile retunditur à Deo v. 4. & 5. E. frustra oppugnat regnum Dei v. 1. 2. 3. II. Quod regnum à Deo ipso est institutum, & à filio Dei administratur, frustra à mundo oppugnatur. Regnum Christi est tale v. 6. 7. 8. 9. E. & proinde consultum est, ut mundus desistat, ne pereat, sed conversus salvetur hujus prophetæ v. 10. sacerdotis v. 11. & regis cultu obedientiaq́ ipsi præstita v. 12.

PARS PRIMA.

Interrogatio Rhetorica.

VErsus 1. & 2.] Propositio *hujus Psalmi* triplici exornata est figura Rhetorica: Primò Interrogatione, *quæ non simpliciter quærit sciendi causa, sed graviter urget eum, quem alloquimur, & hoc loco vanitatem tantorum conatuum considerandam exponit.* Quare *enim, seu (ut hebræa vox* לָמָּה *composita ex* מָה *&* עַל *Esa. 1. v. 5. Psal. 10. v. 13. propriè sonat) ad vel propter quid, fremunt gentes, malè sibi consulunt, quæ finem non respiciunt horum tumultuum. quemadmodum sæpè particulam interrogandi adhiberi novimus, ut eâ animus ejus, quem spectat, percellatur, quem res sit habitura exitum, perpendat, & ab ea, cum mala sit, desistat Gen. 4. 6. Proverb. 5. 20. Quintilian. lib. 9. c. 2. Figuratum schema est, quoties non sciscitandi gratia assumitur interrogatio, sed instandi. quò pertinet, quoties Deus omniscius rogat, non ut ipse, quid homines fecerint, cognoscat, sed ut illi, quid agant vel egerint, benè perpendant. Gen. 3, 9 Adam ubi es? & 4, 9. ubi est Abel? Num. 22, 9. Qui sunt viri isti apud te? eodemq́ modo crebræ istæ Christi* θεανθρώπου *interrogationes in N. T. explicandæ veniunt.*

Gen. 12.

Gen. 12. v. 18. Pharao interrogans increpat, non responsum flagitat.

Secundo distributione *tam* subjecti, *quàm prædicati. Subjecti, cum Mundus Deo resistens dividitur in subditos v. 1. & Magistratus, v. 2. illi aut sunt extra Ecclesiam, velut* gentes *prophanæ; aut sunt in Ecclesia, ut qui se* populum Dei *esse jactitant. Illas scriptura hebræo nomine* גּוֹיִם גּוֹיִם *vocat, quo tamen non semper (ut Judæi volunt) incredulos, & qui non sunt Israelitæ, designat, cum ipsi etjam Judæi hoc nomine comprehendantur Gen. 12, 2. & 17, 45. Exod. 19, 6. Gen. 18, 18. Hoc tamen loco infideles tantum & qui extra Ecclesiam vivunt, significat, quod ex sequente voce* לְאֻמִּים, לְאֻמִּים *tanquam membro opposito, & Apostolorum Act. 4, 27, interpretatione liquet. Hæc enim vox* לְאֹם *cum descendat à R.* אֵם *id est, mater, per prosthesin* ל *ab initio singulariter formata, propriè denotat populum, qui est ex una q. matre propagatus, Gen. 25, 23. quam hic intelligimus Ecclesiam Gal. 4 v. 26.*

Magistratus vel est in statu Monarchico, ut reges, *vel Aristocratico, ut* proceres: *quorum illi hebraicè dicti* מְלָכִים מְלָכִים *à consilijs dandis (cum* מְלַךְ *apud Chaldæos idem sit quod consultavit Nehem. 5. v. 7.) nomen habent: Hi v. hebraicè* רוֹזְנִים רוֹזְנִים, *si vocis cognationem cum alijs spectemus, vel à secretis & arcanis Reipubl. Chaldæis* רָזִין *dictis Dan. 2. v. 28. ipsis præsertim cognitis, vel ab eminentia dicti sunt. Ut enim inter arbores Cedri, hebraicè* אַרְזִים *Ps. 29. v. 5. Ita hi in populo eminent: unde etjam sine dubio factum est, ut in scriptura per Metaph. proceres regni cedri Num. 24, 6. Jud. 9, 15. Jer. 22, 7. atq; familia eorum magnifica, sylva vocaretur Esa. 22, 8. Jer. 21, 14.* Cedri & silva politia.

Pene præterieram, quod est benè observandum. מַלְכֵי אֶרֶץ

Reges terræ cur dicantur.

reges terræ *dum hos nominat, innuit, ut maximè autoritate ac potentia polleant, nullam tamen eam esse, si cum majestate domini cœli, quem illi oppugnant, conferatur. quid est tota terra, si cum universitate rerum conferatur? nil nisi punctum.* Ælian. var. hist. l. c. 3. 28. *Et tamen hujus particulam unam atq; alteram qui obtinent, contra eum rebellant, qui fecit cœlum & terram, cujusq; est tota terra & omnis plenitudo ejus.* Ps. 24, 1. *Socrates Alcibiadis superbiam ita retudit, ut, cum sui prædij, ob quod miser erigebat cristas, locum in tabula Geographica ostendere non posset, ridens diceret, ob illa eum insolescere, quæ ne vix quidem in terra apparerent. Græcè hoc melius:* ὦ πὶ τούτοις, εἶπε, μέγα φρονεῖς, ὅπερ οὐδὲν μέρος τῆς γῆς εἰσίν. *Utinam vero hodie novus quidam Socrates exsurgeret! minus, puto, nonnulli se efferrent. Sed veritas odium parit. Vide Sirac. c. 10. vers. 7. 8. 9. 10. &c.*

Prædicati *distributio priori, quæ fuit, respondet, & singulis ejus membris suas actiones tribuit I. Gentibus quod concurrerent, strepant &* fremant in concursu irati (*ut vox* רָגַשׁ *ex derivatis & cognato verbo* רָגַז *id est ira commotus est, declarari potest Psal. 55, 5. & 64, 3.*) *unde frequentia & conspiratio intelligitur, & quia numerositati confidunt, ferociunt more equi insolescentis, unde septuaginta satis aptè verterunt* ἐφρύαξαν, *quam vocem etiam Spiritus Sanctus Act. 4. 25. retinet.*

רָגַשׁ.

φρυάττω.

II. ijs, qui se populum Dei falsò jactitant & solo titulo gaudent, meditationem *assignat, quæ hic consultationem, rebellionem molientium denotat quæ quia summa cura instituitur, Spiritus S. Act. 4, 25.* μελέτω *nominat.* הָגָה *namq; pro diversitate subjecti, diversissima habet significata, cum notet uniuscujusq; animalis actum proprium. Cum tribuitur columbis, significat gemere Esa. 38, v. 14. Esa. 59. 11. cum leoni, rugire Esa. 31. 4. cum hariolis, mussitare Es. 8, 19 cum pijs, me-*

הָגָה varia significat.

pijs, modestè submissè &, ut Christianam humilitatem decet, tum secum meditando, tum cum alijs loquendo scripturam rimari Psal. 1, 2. cum impijs rebellionem meditantibus, clanculum consusurrare, ut imperium suo Domino auferant, ut hoc loco, siquidem etjam removere significat Esa. 27, 8.

III. Regibus, quod non tantum non componant istos subditorum tumultus, sed etjam eorum sint fidi συμμάχοι, *socij auxiliarij & opitulatores, &* se intrepide *coram Deo* sistant *ad promovendum impium hoc negotium, siquidem verbum* יָצַב *in Hithpael, in qua conjugatione hìc occurrit, forense est, ijsq; propriè competit, qui ad Senatum comparent, ut ibi suam agant causam intrepidè Num. 11, 16. Ps. 5, 6. & 94, 16.* הִתְיַצְּבוּ

IV. Deniq; proceribus, quod ipsi in hoc malo proposito sint fundati *& stabiles, alijsq; se præbeant, ut sint fundamenta, authores & caput consilij, neq; separatim unus & item alter; sed conjunctis viribus & operis* unâ. *Confer Psal. 83. 4. 6. In verbo hebræo* נוֹסְדוּ *est metaphora emphatica: quandoquidem* יָסַד *significat propriè fundavit: hic vero indicatur, quod proceres sint fundamenta Reipub. (quomodo apud græcos quidam deducunt vocem* βασιλεύς *à* βάσις *id est fundamentum, & à* λαὸς, *Atticè* λεὼς *id est, populus, quod in rege sit fundata populi salus) & consilia eorum sint ut fundamenta actionum in ea: cum etjam aliàs consilium se habeat ad actionem, ut fundamentum ad ædificium, Psal. 31. 14. 1. Chron. 9. 22. Esræ. 7. 9. Esth. 1. 8.* Fundari id est consilium capere.

Tertia Figura Rhetorica est climax, *præcedenti distributioni partim inserta, partim subjecta, estq;* triplex. I. Personarum, *quarum (1.) gradus est gentium prophanarum, (2.) eorum, qui se pro populo Dei falsò venditant v. 1. (3.) Regum & principum v. 2. (4.) omnium illorum unà conspirantium v. 3.* II. Factorum (1.) *irrequieto sunt corde, tumultuantur* Climax elegans.

concurrunt. (2.) *meditantur, consilium ineunt, consurrant v. 1.* (3.) *in consilio malè capto se obfirmant & sistunt.* (4.) *in hac rabie fundantur firmissimè, aliisq; auctores sunt, ut se ijs associent v. 2.* (5.) *conclamant ad arma & ad rebellionem se invicem excitant v. 3.* III. Eventorum (1.) *omnia consilia sunt irrita v. 1.* (2.) *Deus eos ridet.* (3.) *illudit & subsannat v. 4.* (4) *alloquitur eos in ira* (5.) *& in furore conturbat v. 5. Unde porrò elegantissima oritur* comparatio (1.) personarum: *gentium, populorum, regum, procerum multorum, & unius Dei* (2.) loci, *cœli & terræ.* (3.) actionum *cum tumultuantibus, consultantibus, sedens, ridens, subsannans; consultationi clandestinæ manifesta redargutio; decreto impio sanctissimum de Christo statutum opponitur.*

Propositionis *prædicato hactenus factis declarato*, duplex *ejus* determinatio *inserta est: quarum* prior *eventum hujus oppugnationis:* posterior *objectum ejusdem indicat. Eventus una voce* רִיק *indicatur, quæ* frustraneos *& vanos esse conatus denotat. Objectum, quod oppugnant impii, est* Jehova, *quæ vox tamen hoc loco hypostaticè accipi potest de Deo Patre, cum secundæ personæ Trinitatis etjam statim fiat mentio, nempe* Christi, uncti *à Deo Patre oleo Spiritus S. secundum humanam naturam Ps. 45. 8. à* מָשַׁח *namq; id est, unxit, est nomen* מָשִׁיחַ *id est,* unctus, *idq; nomen Christo peculiariter, & κατ' ἐξοχὴν competit, reliquis verò in V. T. regibus & Sacerdotibus tribuebatur typicè 1. Sam. 12, 3. 5. Exod 29, 29. & 40, 15. Levit. 8, 12. Ps. 105, 15. 2. Sam. 19, 22. propterea quod hic Christus esset revera ille, quem hi repræsentarent. Quanquam vero mundus existimat, se tantum hominibus agrè facere, cum ministros verbi contemnit & oppugnat: tamen hæc ejus petulantia in Christum ipsum & patrem ejus redundat Luc. 10, 16. Actor. 9, 4. 5. Col. 1, 24.*

מְשִׁיחוֹ.

V. 3.]

v. 3.] Dicta, *in quæ prorumpunt rebelles, per mimesin v. 3. exponuntur, ubi duo notanda sunt,* 1. *Quam thrasonicè de suis glorientur viribus.* 2. *quam indignis nominibus salutares Dei leges vocent. Jactantia illa duobus verbis indicatur: uno* נְנַתְּקָה *quod descendit à R.* נָתַק *hoc est, nullo negotio* נָתַק
rem unam ab altera avulsit Jer. 30, 8. ut apparet Jud. 16, 9, 12. in historia Simsonis, tam facilè disrumpentis restes, ut filum stupeum rumpitur ab igne: & quam facilè tolluntur pedes in lutosa via Josuæ 4, 18. & altero נַשְׁלִיכָה *quod venit à R.* שָׁלַךְ
& significat abjicere onus, quod nullo modo adstrictum est, quodq; bajuli non molli remissoq; brachio deponunt, sed elato vibrant, & in terram detorquent, pondere scilicet gravati & molestiæ pertæsi Gen. 21, 15. Jer. 7, 15. (ubi Deus minatur, se abjecturum Judæos, quos hactenus portavit ut filios Exod. 19, 4. Deut. 1, 31 & 32, 10. 11. 19.) Jon. 2. 4. Num. 35, 20. Ps 55. 23. unde Petrus 1. Epist. c. 5, 7. commodissimè reddit per græcum ἐπιρίψαντες. *q. dicat hoc maleferiatum rebellium conciliabulum: quid cunctamur? aut quid metuimus? quod molimur negotium, tàm facilè à nobis expediri potest, quàm pedem movemus, quàm sarcinam abjicimus humeris vix hærentem.* Frangamus *itaq; hoc servitutis jugum, &* abjiciamus *à nobis, ne posthac quicquam ad nos pertingant ista onera statutorum Dei. Leges salubres Dei per contemptum vocant* מוֹסְרוֹת *id est vincula, lora &* עֲבוֹתֵימוֹ *id est, densos & contortos funes,* עֲבוֹתֵימוֹ
qualibus jugum cornibus vel collo boum alligatur, ut ita arare doceantur Jud. 15. 13. Jer. 27, 2. Job. 39, 8. quorum illud est à יָסַר *i. e. castigavit, erudivit; hoc ab* עָבַת *id est, contorsit, torquendo condensavit more restionum, & cognationem habet cum* עָבֹת *i. e. densus, crassus fuit. Quemadmodum vero boves indomiti jugum ferre nolunt; Ita etjam hi magnates, licet norint viam Domini, & jus Dei sui, pariter tamen*

frange-

frangere jugum & disrumpere vincula conantur Jer. 5, 5. quasi servitutem servirent Deo intolerabilem. Unde per Metaph. hæc servitus sæpissimè jugum & vincula dicitur inscriptura Jer. 2, 20. & 30, v. 8. Nah. 1, 13. & ipsi excutientes jugum & vincula legum divinarum aptissimo vocabulo compositio vocantur filij בְּלִי־עֹל q. בְּלִי־עַל absq; jugo Deut. 13, 13. Jud. 19, 22. 1. Sam. 2, 12.

Servitus jugum.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 1. de fine in omnibus actionibus nostris considerando: Luc. 14, 28. 31. de multitudine & rabie hostium Ecclesiæ: Ps. 3, 1, 2. de cæcitate rationis humanæ in spiritualibus, cum fremat contra eum, qui salvaturus mundum venerat. Luc. 19, 42. Mat. 23, 37. Ex v. II. De conspiratione hostium Christi, Luc. 23, 12. & tyrannorum erga Deum ingratitudine, Prov. 8, 15. Psal. 82 6. de membrorum & capitis Ecclesiæ unione, Act. 9, 4 5. de pluralitate personarum divinitatis. Gen. 1, 1. 2. Ps. 33, 6. Ex v. III. de libertate carnali, Rom. 6 cap. de blasphemijs in Deum ejusq; verbum. Matth. 12, 31. 32.

Discimus ex hac parte, irritos esse omnium hostium Ecclesiæ conatus, quia in Deum ipsum rebellant: Ideo reos faciet Deus istos, ut decidant de consilijs suis, amplitudine defectionum depellet eos Ps. 5. 11. contra quem nullum est consilium Proverb. 21, 30. Namq; Jehova exercituum inivit consilium, & quis irritum faciat? Esa. 14, 27. qui dicit populis, inite consilium & irritum fiet, loquimini verbum & non existet. Esa. 8, 10. qui frementibus gentibus & moventibus se regnis, tantum edit vocem suam, qua liquescit terra Psal. 46, 7. qui exercet vindictam in gentes, & increpationes in populis Ps. 149, 7.

Ἀιδαοπαλία. Vani sunt hostium Ecclesiæ conatus.

Ps. 149,7, qui formidabilis est regibus terræ Ps. 76, 13. & disponit dominatores in nihilum Esa. 40, 23. ut, quam commenti sunt cogitationem perficere nequeant Ps. 21, 12.

Solatium *hoc præbet pijs & veræ Ecclesiæ membris, quamvis commoveantur montes, tamen civitatem Dei & habitaculum excelsi mansurum, cum Deus sit in medio ejus Psalm. 46, 4, 5, 6.* Παρέκλησις.

Monemur, *ne quid moliamur, in quo Deo rebellare comperiamur Act. 5, 29. ne illud nobis conveniat, durum erit contra stimulum calcitrare Act. 9, 5.* Νουθεσία.

Hinc refutantur *illi, qui omnia fortuitò fieri putant, & nullam esse Dei providentiam: nisi enim Jehova adesset nobis, dicat Israel, quum insurgerent contra nos homines, vivos absorbuissent nos, excandescente ira eorum in nos Ps. 124, 1. seq.* Ελεγχος.

SECUNDA PARS.

v. 4.] *Hactenus Propositio Psalmi factorũ & dictorũ rebelliũ descriptione explicata est, cum sua determinatione: sequitur jam* Confirmatio, *quæ* duplici argumentorũ genere probat *irritos esse mundi conatus, cum Dei imperium excutere nititur. Eorum* primum à Persona Dei *desumitur, quod is sit longè potentior ijs, & extra omnem teli jactum, ut ajunt, securè irritas minas contemnat & tandem severè castiget. Sequitur enim* sedens in ipsis cœlis, *qui semper idem manet, & cujus anni non finiuntur Ps. 102, 18. (Sic enim verbum* יָשַׁב *accipi posse in Ps. 1, 1. dictum est) quem ne quidem illi conatus hostium attingunt, cum habitet altissimè Psal. 113, 5. cujus solium est cœlum, & cujus scabellum pedum est terra Esa. 66, 1. cujus majestas eo ipso verbo sedendi simul indicatur, cum hoc ejus potentiæ sit maximè consentaneum,* Deus sedet in cœlis.

ut in cœlo tanquam in ſolio ſedeat, totius terræ judex Pſ. 11, 4. & 47, 9. Et quia, qui etjam ſunt præcipui inter oppugnatores ipſius, tantum inhabitant domos argillaceas, quibus in ipſo pulvere eſt fundamentum Job. 4, 19 propterea deridet *ac ſecurè eorum conatus contemnit: quemadmodum balæna dicitur ridere lanceam Job. 41, 19. vel cogitante improbo contra juſtum, & frendente adverſus eum dentibus ſuis, Dominus ridet eum, quia videt advenire diem ipſius Pſal. 37. 12, 13. & cum Dominus ſit eorum omnium ratione creationis (quamvis ipſi dicant in corde: Quis eſt nobis Dominus? Pſal. 12, 5.) cum videat eos tam ſeriò rem agere,* ſubſannat *ac deludit* eos. *Major namq; eſt hujus verbi* לַעַג *quam præcedentis* שְׂחֹק *emphaſis: cum ipſi explicationis ergò ſæpè adjiciatur 2. Chron. 30, 10. Prov. 1, 26. Unde colligere licet, ſignificari eo omnes geſtus, quibus in alijs deludendis utimur Pſ. 22. 8.*

לַעַג.

Ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuitur, & cur?

Hoc autem loco Deo tantum ἀνθρωποπαθῶς *tribuitur utrumq; ad indicandam ſecuram quietem in iſto vano gentium contra ſe tumultu: quemadmodum etjam ſeſſio hoc verſu, loquela v 5. ira ibid. & v. 12. de quibus loquendi modis Auguſtinus lib. 15. de civ. Dei c. 25. ſcribit: Si non utatur ſcriptura talibus verbis, non ſe quodammodo familiarius inſinuabit omni generi hominum, quibus vult eſſe conſultum, ut & terreat ſuperbientes, & excitet negligentes, exerceat quærentes, & alat intelligentes.*

V. 5.] Alterum *à perſona Dei ſumptum argumentum, ut præcedens longanimitatem ejus innuebat, ita ſeveritatem juſtitiæ explicat, in quo præter perſonas, circumſtantia temporis, modus & eventus obſervanda veniunt. Nam contra quem impij hactenus inierunt conſilium, & cujus leges abrogaturi erant extremè contemptas, Ille* Jehova alloquetur eos θεομάχους, *& alloquetur* tunc, *cum videlicet ſatis diu*

blandè

blandè eos in verbo suo invitavit, ut redirent in viam Proverb. 1, 20. cum expandit satis diu manus suas ad populum rebellem, ad populum, qui provocat eum in os jugiter. Es. 65, 2, 3. alloquetur non verbis blandis, sed in ira sua, & si tum non resipuerint, in furore suo excandescentia & æstu iræ (Hæc enim est vocis חֲרוֹן emphasis, quæ a חָרָה id est, arsit, ira accensus est, flagravit, derivatur) eos celeriter & inexspectato conturbabit (cum verbum בָּהַל & turbare & accelerare designet) ut quid agant, aut quo se vertant, nesciant, cum nulla pateat via elabendi è Dei manibus. חֲרוֹן. בָּהַל.

Posteriori huic prioris generis argumento posteriora duo confirmationis membra commodè subjiciuntur. Quemadmodum enim contra Jehovam Deum Patrem & Christum ejus, omnia sua impij dirigebant consilia, ita utraq; hæc divinitatis persona suam majestatem contra illos asserit. Et pater quidem v. 6. Filius v. 7. 8. 9.

V. 6.) Pater suum unius decretum multorum tumultuantium conspirationi, de qua v. 3. opponit (sicut ו hoc loco conjunctio adversativa innuit, ut Esa. 29, 13. Mal. 1, 3. & in N. T. Math. 1, 25. & 12, 26 & 13, 22.) & regem illum, contra quem rebellant, à se constitutum esse gravissimè asserit, cum eum distinguit ab omnibus alijs, 1. Inauguratione. 2. Sede regni & subditis. Inaugurationem planè singularem illa verba continent: Ego vero effundendo inunxi regem meum: quia licet omnes reges mundani sint à Deo constituti Rom. 13. 1. tamen non sunt immediatè à Deo uncti & in regnum collocati, sicut hic rex, Deus ab æterno Proverb. 8, 23. in plenitudine temporis homo factus, oleo lætitiæ supra consortes profusus Psalm. 45, 8. omnibus SS. donis præditus Esa. 61, 1. nec ijs ad mensuram à patre donatus est Johan. 3, 34. quem propterea suum regem esse peculiari modo pater affirmat, id ו adversativè sumptum.

quod pronomina emphaticè verbo & nomini adjecta denotant.

Sion. Sedes regni *illis verbis describitur:* super Sionem montem sanctitatis meæ: *ut ostendat, quanquam omnium rerum sit Dominus, & ubiq; dominetur potenter. Psal. 110, 2. tamen peculiariter & gratiosè eum regnare in Sione, monte in ipsa Hierosolymorum urbe sito, & sancto, quod ibi cultus Dei administraretur publicè, templum ibi sanctum Deoq; consecratum exstructum esset, quod Deus sanctus Israelis peculiari quodam præsentiæ modo inhabitabat 1. Reg. 8, 13, 27. unde Jerosolyma in V. & N. T. sæpè sancta civitas vocatur Es. 48, 2. & 52, 1. Neh. 11, 1. Tob. 13, 9. 2. Marc. 3, 1. Matth. 4, 5. & 28, 53. Quibus verbis Ecclesia describitur, quæ dicitnr & est mons sanctus Dei, Confer Ps. 24, 2. & 89, 3. Es. 2, 2.*

Ecclesia. Sanctificata. *Ps. 132, 13. 14. quia Christus rex Ecclesiæ est nostra sanctificatio 1. Cor. 1. 30. cum sanctificet regni sui cives verbo, Johan. 17, 17. & Sacramentis Exod. 19, 6. In N. T. baptismo Eph. 5, 26. & cœna, Ebr. 13, 12. Unde jam satis liquet, non esse de mundo hoc regnum Johan. 18, 16. & subditos hujus regis esse omnes, quotquot mundo renunciarunt, & Christo fide adhærent Eph. 2, 19, 20. Psal. 110, 3. Et quia hoc regnum est Spirituale à Deo ipso constitutum, super Christum lapidem angularem fundatum, in æternum non dissipabitur Dan. 2, 44. sed quemadmodum mons est terræ portio super reliquam terram eminens, Ita Ecclesia Christi est portio ex terris verbo selecta, & supra reliquos homines terræ filios in sublime ad cœlum spe exaltata Rom. 8, 24. quæ præcipuè quærit cœlestia Mat. 5, 14. Col. 3, 2. Philip. 3, 20. Atq; hoc est prius posterioris generis argumentum.*

V. 7.] Posterius *Rex à patre constitutus subjicit, idq;* desumit à sua persona & officio: *In persona divinam naturam potissimùm & expressè asserit, tanquam huic furorê*

compescen-

compescendò maximè idoneam. Humanam vero nomen Christi v. 2. positum præcipuè innuit, & duplex officium præsupponit, Propheticum & regium.

De Prophetico officio v. 7. duo *dicit*: Unum, quod sit enarraturus & perspicuè expositurus voluntatem patris humano generi à natura ignotam (סָפַר namq; in Piel hoc loco positum, significat accuratè recensere & enarrare, ut is qui numeros exactè computat, unde סוֹפֵר notat eum, qui res divinas vel politicas, aut voce enarrat, aut scripto ut enarrentur consignat) tanquam λόγον Johan. 1. 14. quem incarnatum audire de cœlo pater jubet Mat. 17, 5. & in cujus ore posuit verba sua. Deut. 18, 18. Alterum, quod non propositurus somnia hominum: Sed quod ad vel juxta decretum patris, neq; aliter quàm pater mandavit, sit docturus Johan. 14. 31. Ut autem sciremus, quodnam esset Dei patris statutum, statim hic propheta summam ejus subjicit, ejq; authoritatem conciliat, cum ab ipso patre hoc sibi dictum asserit: Jehova, inquit, dixti ad me, extra omne tempus, ab æterno in suo arcano sinu Johan. 1. v. 2. & 18. & in tempore, cum pijs me audiendum proponeret Matth. 3 17. & 17, 5. ibi eum dicendo genuit, hic protulit vocem ἐνεχθεῖσαν per aërem latam, 2. Pet. 1, 17. non propter filium, sed nos Joh. 12, 30. סָפַר.

Notandum verò, quod licet filius Dei, in cujus ore non est inventus dolus Esa. 53, 9. de seipso testari potuisset, cum firmum sit testimonium ejus Johan. 8, 14. tamen, ut ob hominum malitiam, testimonium esset firmius Johan. 5, 31. maluit patrem ipsum loquentem introducere, ejus verba per μίμησιν reponere, quàm ipse ea repetere in sua persona. Hæc igitur patris vox est ad filium valdè emphaticè prolata: Filius meus es tu: Filius non adoptione, sed genitura; non gratia, sed natura; quo ab angelis sanctis & hominibus, quando & illi filii Christus Dei filius.

Dei vocantur, distinguitur: Quia ille est filius Dei singulari modo & numero, tam φύσει (ut ita dicam) quàm θέσει. φύσει, quia ab æterno ex Patris substantia inenarrabili modo genitus: θέσει, quia filius Mariæ & humana natura in unitatem personæ τῷ λόγῳ est assumpta Luc. 1, 35. Illud porrò sequentia satis demonstrant, cum subjicitur: Ego hodie *& ab æterno (cum enim Deus tempori non est subjectus, hoc hodie verum tempus non designat: sed tantum, quod Deus semper idem sit, cui nihil præteritum, nihil futurum, apud quem una dies q. mille anni, & mille anni sicut dies una Psal. 90. v. 4. 2. Pet 3, 6. & quod JEsus Christus idem ipse heri & hodie & in secula Hebr. 13, 8. unde etjam præteritum huic adverbio, præsens tempus designanti, junctum legimus) ex mea substantia* genuite. יָלַד *namq; ita in scriptura propriè accipitur. Unde in N. T. cujus major lux quàm V. hic Filius non tantum vocatur imago Patris Hebr. 1, 3. æqualis Deo Johan. 5, 18. sed etjam υἱὸς μονογενὴς Johan. 1, 14, 18. c. 3, 17. ἴδιος, Rom. 8, 32. ut à reliquis creatis & adoptatis filijs distinguatur.*

Hodie de Deo dictum.

V. 8.] *Hactenus natura divina in Christo probata est: sequitur nunc secundum ejus* officium, *videlicet* Regium, *quo tum suos subditos verbi ministerio ex toto mundo colligit, & constantes morigerosq; salvat, v. 8. tum eosdem contra hostes fortiter defendit v. 9. In illo continetur petitio à patre impetrata, & promissio illi juncta. Petitio mandatur à patre his verbis:* Postula à me *q. d. tantum abest, ut illud regnum, quod rabiosè oppugnant, impij tibi sint erepturi, ut universum orbem tibi subjecturus sim, quem honorem licet tu tibi non sumas, nec teipsum glorifices Hebr. 5. 4, 5. tamen jure hæreditatis ad te spectat. Ideoq; quanquam, quâ Deus & filius meus, es Dominus omnium natura, tamen etjam, quà homo, dominium idem habebis ex gratia & in personæ unitate. Ecce tibi hanc*

Pater dat Christo omnia.

tibi hanc promissionem certissimam, donabo tibi *meo regi, cum omnem potestatem in cœlo & in terra Matt. 11. 27, & 28, 18 Johan. 17, 2. tum præcipuè* gentes, *quæ in V. T. erant absq; Christo abalienatæ à conversatione Israelis, extraneæ à pactorum promissionibus Eph. 2, 12. In N. T. erunt propinquæ per sanguinem Christi ibid. v. 13.* ut sint hæreditas tua, *cui tu jure imperes, quæ vicissim accipiat abs te hæreditatem, quæ nec corrumpi, nec contaminari, nec marcescere potest, in cœlo servata 1. Pet. 1, 4. ut ita sint tui cohæredes Rom. 8, 17. quos tu salves Mat. 1, 21. Neq; tantum eas gentes tibi donabo, quæ Judææ & Sioni monti sancto meo conterminæ sunt: sed qua totus orbis patet*, ut sit possessio tua, *quam teneas justo titulo*, tota terra, *& qui in ea habitant*, usq; ad ejus fines *Psal. 24, 1.*

V. 9.] *Quemadmodum vero his, qui sunt ipsius hæreditas, Rex ille spiritualis erit lapis refugij, ita ijs, qui ipsius verbo obedire nolunt, est lapis scandali 1. Pet. 2, 6, 7. Matth. 21, 44. & ut est positus resurrectioni multis in Israel, ita etjam multis sua malitia & culpa in eum irruentibus, erit casui Luc. 2, 34. cum non postremum hoc sit regis officium, ut liberet suos subditos ab hostium violentia, quod quomodo facturus sit Christus ipse v. 9. exponit, dum patrem sibi ita loquentem introducit:* Diffringes eos *videlicet, quorum v. 1. & 2. facta est mentio*, virga ferrea *id est, potente tuo verbo, quod est gladius anceps, imò hoc ipso penetrantius Hebr. 4, 12. Eph. 6, 17. Apoc. 1, 16. quo percuties omnes contra te insurgentes Esa. 11, 4. Psal. 45, 7, 8.* & dissipabis eos, *ne sint fundati, nec consilium exequi queant, de quo v. 2. sed quasi frustillatim differantur*, ut figlina vasa, *quæ summa facilitate frangi Esa. 30, 12, 13. & nulla arte reparari possunt Jer. 19, 12. Verbum Dei ferro confertur* (1.) *ob firmitatem Es. 40. Luc. 21. Psal. 19.* (2.)

quia

secandi potentiam Heb. 4. (3.) usum in prælio Eph 6. (4.) quia inde fiunt clavi, quibus res compinguntur Eccles. 12, 13. (5.) quia situ corrumpitur, usu splendescit Luc. 8, 18. Vide D. Lesneri Comm. in hoc loco.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 4. multa in scriptura Deo tribui ἀνθρωποπαθῶς Rom. 6, 19. Gal 3, 15. de Dei longanimitate & misericordia. Exod. 34, 6. ex v 5. de ejusdem erga impœnitentes ira, Exod. 20, 5. de officio & usu legis Politico. 1. Tim. 1, 8. 9 10. ex v. 6. de præsentia Dei gratiosa, & speciali in Ecclesia. Deut. 4, 7. ex v. 7. de perfectione scripturæ, Psal. 19, 8. de ejusdem autore & auctoritate, 2. Tim. 3, 16. 2. Pet. 1, 21. de nominibus & proprietatibus hypostaticis personarum divinitatis. Ps. 33, 6. Prov. 30, 4. 1. Joh. 5, 7. Mat. 28, 19. ex v. 8. De intercessione Christi pro nobis, Es. 53, 12. Rom. 8, 34. de vocatione gentium, Ezech. 37. Joh. 10, 16. de Evangelii prædicatione universali. Es. 45, 22. Col. 1, 23. ex v. 9. de efficacia scripturæ singulari, Heb. 4, 12. Eccles. 12, 13. de omnium hominum infirmitate, Ps. 39, 7. & 144, 4. de eorundem creatione. Psal. 33, 15.

Christus rex Ecclesiæ.

Discimus primùm, *quis sit Rex Ecclesiæ, videlicet Christus à patre ipso unctus, & rex constitutus in temporis plenitudine; ab æterno vero ab eodem ex divina ipsius essentia genitus, ut esset Propheta & rex fidelium ex toto mundo collectorum, quos potentissimè contra hostes suos defendit. Quæ descriptio ex textu collecta ostendit, quod in persona ejus sint*

Θεάνθρωπος. *duæ naturæ: Divina & humana, ut officio illo duplici fungi posset. Deum esse oportuit, ut, cum Deum nemo vidisset, unigenitus, qui est in sinu patris, exponeret ejus voluntatem Johan: 1, 18. ac ut dominari in medio inimicorum suorum posset, Ps. 110,*

set, Ps. 110,1,2. Homo vero ut esset, requirebatur, ut evangelizare afflictis hominibus posset, & prædicare captivis liberationem Esa. 61,1. & qui tangeretur sensu infirmitatum nostrarum, tentatus in omnibus Ebr. 4,15.

Consolatio hinc erui potest, qua cives regni Christi variis malis oppressi se erigant, videlicet quod, cum Rex eorum, sit Deus, satis sit ad eos vindicandos potens Ps. 7,2. Luc. 18,7,8. Cum vero sit homo & frater eorum Joh. 20,17. non poterit eos pro suo amore plus quam paterno Psal. 103,13, materno Esa. 49,15, fraterno Ps. 22,23. deserere Ebr. 2,17. & 13,15. nec orphanos relinquere Joh. 14,18. Solatur hoc Christianos.

Admonemur v. I. ut libenter hunc Prophetam audiamus, ne, si non auscultaverimus verbis ejus, à nobis Deus reposcat, Deut. 18,19. II. ut regem hunc debita reverentia colamus, ipsiq; serviamus in sanctitate & justitia omnes dies vitæ nostræ Luc. 1,74,75. Is audiatur. Et colatur.

Refutantur hinc primum Ebionitæ, Arriani, Photiniani, atq; adeò omnes, quotquot divinitatem & æternitatem Christi negarunt. 2. Judæi carnales, qui regnum Messiæ mundanum sperant, in ipsa Jerosolymorum urbe iri constitutum, cujus ipsi solum sunt cives, cum hic Deo Regi θεανθρώπῳ totus mundus & gentes omnes regendæ committantur.

Discimus secundò, quod, ut rex est æternus Deus, ita, etjam hoc regnum perpetuò sit duraturum Dan. 2,44. comminuet vero omnia reliqua regna, quæ fatales suas habent periodos & terminos: & cum regnum à gente una ad alteram traducatur propter injustè facta, propter contumelias & opes fraude partas Sir. 10,8. hoc jure & justitia Zelus Jehovæ stabiliet Esa. 9,7. ut nullus ejus futurus sit finis Luc. 1,33. sed sit regnum perpetuum, & quod non corrumpitur Dan. 7,14,27. Christi regnum æternum.

regnetq; Jehova in monte Sionis ex hoc tempore usq; in seculum Mich. 4, 7.

Ejusq; civibus semper benè.

Consolatio *hic continetur illa, quod pij vera & viva hujus regni membra sive vivant sive moriantur, Domini sint. Rom. 14, 8. & apud eum futura semper 1. Thes. 4, 17. ut videant gloriam ejus Johan: 17, 24.*

PARS TERTIA.

V. 10.] EX *antecedentibus documentis Propositioni & confirmationi inspersis, nascitur* conclusio hortatoria: *cujus* duæ *sunt* partes. Exhortatio *ad fidem, ac obedientiam Regi Ecclesiæ præstandam: &* causarum explicatio. *Cum enim mundus pro sua malitia Deo resistat; fieri vero aliter nequeat, quin regnum, quod ab eo constitutum est, & à filio ejus unigenito administratur, sit stabile, videndum est, tum ut qui hactenus obstiterunt ei, tempestivè resipiscant: tum, qui ad illud se receperunt, in sententia sua permaneant; siquidem illis exitium, nisi convertantur, immineat, his verò æterna sit parata felicitas.*

In exhortatione notanda est 1. circumstantia temporis, 2. personæ, 3. triplex ejus argumentum. Illa indicatur voce עַתָּה. nunc (*hebraicè* עַתָּה *id est, hoc tempore seu momento opportuno, quod derivatur ab* עָתַה *i. e. tempestivè loqui Esa. 50, 4. unde etjam est nomen cognatum* עֵת *de quo Psal. 1. 3.*) *dum tempus est oportunum Gal. 6. 10. & acceptum 2. Cor. 6, 2. nunc postquam Deus tempori ignorantiæ connivendo dissimulavit Act. 17. 30. nunc, antequam Deus vobis loquatur in sua ira, & Christus vos confringat virga ferrea, dum est tempus gratiæ, ab impio cœpto desistite. Nam illud est tempus metæ; hoc viæ: Illud judicij; hoc officij, & ut ad illa verba præcedentia v. 5, & 9. remitteremur, conjunctio inseparabilis* (1) hoc loco

1 significat ergò.

hoc loco rationalis præfixa est, sicut Psal. 18, 47. Hos: 10, 4. Amos, 5. 27. Quemadmodum κύριος in N. T. accipitur Mar. 6, 12. & 9, 5. 1. Cor. 12, 26. 1. Johan. 1, 5. & 2, 28.

Personæ, ad quas spectat exhortatio, sunt eædem, quarum supra v. 1. & 2 fit mentio. Cum enim reges & judices terræ *nominantur Synecdochicè etjam illis includuntur reliqui, qui ipsis subsunt, cum eorum culpa potissimùm fiat, ut subditi Deo repugnent, & ad quorum exemplum ac mandatum pium, etjam subditi facilius externam præstant disciplinam, & Deo auditui verbi benedicente, convertuntur, vel saltem à sua oppugnatione impia desistunt.*

Hortationis *argumentum triplex est, ut* agnoscant *ordine* singula Christi officia. *Atq; ad* Prophetiam *ejus intelligendam hortatur v. 10. duobus vocabulis, quorum prius* שַׁבְּרוּ *à* הַשְׂכִּילוּ *descendit quod in Kal, secundatus est, prospero successu usus est: in Piel scitè manus direxit: in Hiphil, ex qua conjugatione hoc loco occurrit, intelligentia imbutus fuit, probè animum advertit q.d.* animadvertite tandem, *ut rem rectè intelligatis, rectè manus & actiones vestras dirigatis, ut ità nunc secundemini tandem. Nam si ità, ut cœpistis, perrexeritis, possimè vobis omnia cedent. Posterius est* הַוָּסְרוּ *est in niphal à* יָסַר *id est, castigando erudivit, quod quia potissimum mores spectat, qui certis præceptis, velut normis reguntur, & legibus velut vinculis adstringuntur, non erit contra analogiam fidei, si dicamus, priori fidem, posteriore probos mores intelligi, ut sit sensus: rectè deinceps credite & piè vivite. Nam voce posteriore videtur respicere ad v. 3. quo leges Dei saluberrimas ipsi* θεομάχοι מוֹסְרוֹת *i. e. vincula per indignationem vocabant; ut hic sit sensus hujus loci, tantum sinite vos istis constringi vinculis, quæ vestro maximo futura sunt commodo.*

שַׁבַּר

V. 11.] Ad Sacerdotium Christi *agnoscendum hortatur porrò psaltes v. 11. Propterea enim dedit ille semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum Tit. 2, 14. Huic itaq; Sacerdoti, vos reges & judices, licet alijs hominibus situs superiores, tamen estis subjecti & servitium debetis:* Servite ei, *& ne servitus sit coacta, nec cultus pietatis extortus, simul* exultate *& libenter præstate, quia populus ejus est voluntarius Psal. 110, 3. & servus coactus non manet in domo Dei Johan. 8, 35.*

Hæc sunt facta Christo præstanda: sed quia multum refert, quo ea fiant animo, modi subjiciuntur, quibus præstare illa conveniat, videlicet in timore & tremore *Philip. 2, 12. Unde jam liquet, non esse hanc virtutem, quæ hic præcipitur, ethicam, nec vel à natura implantatam, vel ex assuefactione productam, cum ex tam diversis, imò ferè contrarijs constet, exultatione & tremore, ubi ipsæ voces hebræa non carent sua emphasi. Prima enim* עָבַד *significat servivit, ut servus hero, operatus est: sed quando nomen ei divinum jungitur, colere notat, unde* εἰδωλολατρεία *hebræis scriptoribus* עֲבוֹדָה זָרָה *dicitur: & verbum hebræum, quod extat in hac significatione Deut. 6, 13. in N. T. Matt. 4, 10. redditur per* λατρεύειν. *Secunda* יָרֵא à יִרְאָה *i.e. timuit, reverentia ductus est, derivatur, ut ita indicetur, designari hoc nomine timorem filialem cum fiducia conjunctum, cum de Dei reverentia usurpatur: aliàs* גּוּר *significat ita timere, ut aufugiendum sit præ metu, &* חוּל *timere cum dolore notat, ut in servis refractarijs videre est. Tertia* גִּיל *respondet græco verbo, quod etjam inde factum,* ἀγαλλιᾶν, *quod est exultare & tota mente lætari, internumq; gaudium externis gestibus declarare, 1. Pet. 4, 13. Unde verbo* שָׂמַח *intendendi gratia postponitur Job. 3,*

עָבַד.

יָרֵא.

גּוּר.

tur Job. 3, 22. Hos. 9, 1. Quarta רְעָדָה propriè tremorem cum concussione conjunctum designat, qualis est in terræ motu. Quæ voces omnes, maximè serios motus & affectus, non simulatos innunt. רְעָדָה.

V. 12.] Ad regnum deniq; Christi suspiciendum incitat: quoniam v. 12. præcipit, ut regem istum omnibus subjectionis officijs humiliter honoremus, quæ Synechdochicè uno osculo videlicet, indicantur. Quia enim olim hoc signo fidem promittebant, homagium & jusjurandum regi suo præstabant subditi, ἀνθρωποπαθῶς huc transfertur. Gen. 41, 40. 1. Sam. 10, 1. 1. Reg. 19, 18. Ose. 13, 2. נָשַׁק enim osculari significat. Osculum subjectionis.

Causæ hujus hortationis sunt duûm generum. Prius ex persona Christi ducitur: Alterum eorum, ad quod est instituta. Illæ sunt duæ. Prior, quia est Jehova v. 11. à seipso æternus Deus cum Patre & SS. ab æterno existens, quiq; ut existerent omnia reliqua, fecit, & quia quæcunq; etjam nobis sunt, ab hoc uno sunt, meritò ei gratitudinem nostram probare debemus. Posterior, quia est filius Jehovæ v. 12. ita namq; vocem Chaldaicam בַּר h. l. interpretamur ex voce hebræa ἰσοδυναμούσῃ בֵּן v. 7. & alijs scripturæ locis Dan. 5, 22. & 7, 13. בַּר id est, filius.

Hæ sunt totidem. Prior ab inutili, ne pereant inobedientes: Posterior ab utili, ut salventur obedientes, adducta. Illa his verbis continetur; ne irascatur & vultu suo à vobis vel averso Ps. 27, 9. vel vobis opposito. Levit. 17, 10. iræ det signum (אַף namq; nasum, vultum, & metonymicè iram significat. אַנַף itaq; est ita irasci, ut ex vultu hoc ipsum appareat, quando scilicet in iratis, ut scribit Seneca lib. 1. c. 1. de ira: flagrant & micant oculi, multus in ore rubor est. Hoc vero loco qui Deo ἀνθρωποπαθῶς affectus tribuitur, non est perturbatio animi, sed judicium, quo irrogatur pœna peccato. August. lib. 15. אַף.

lib. 15. de C. D. c. 25. quod si factum fuerit, futurum est, ut vos planè pereatis in via, *antequam ad metam vestrorum consiliorum pertigistis. Malumus enim præpositionem inseparabilem* בְּ *hoc loco subintelligere, quæ aliàs sæpè deficit Num. 12, 5. Ps. 44, 3 & 66, 17. quam verbum neutrum cum nonnullis interpretari activè, q. d. Psaltes, ne perdatis viam h. e. Christum, qui est via ad cœlum Johan. 14, 6. Hoc amplificatur temporis adjecta circumstantia:* quia exardescet, in brevi, *momento exiguo, & tum, quando non putatis Mat. 24, 50. Prov. 1, 27.* ira ejus. *Ubi notanda est significatio vocis* בָּעַר *nempe ita exarsit, ut planè sustulerit, quæ corripuit Ps. 83, 15. Ezech. 21, 4. quo hoc loco judicij gravitas denotatur.*

Ἐλλειψις ב

בָּעַר.

Hæc, quam posteriorem causam ex persona eorum, quos monet Psaltes desumptam esse dixi, epiphonemate includitur, ut tanto magis animos eorum feriat: Beatitudines *scilicet sunt* omnibus, qui se receperunt ad eum, *ut sub ejus protectione tuti essent. Verbi* חָסָה *namq; propria significatio est, recipere se in locum, vel ad aliquem sub quo & à quo tegaris, ut pulli sub alis gallinarum confidunt Ps. 11, 1. Ps. 91, 4. & 17, 8 & 5, 12, 13. Mat. 23, 37. quod David de se fatetur Ps. 57, 2. ad te, ô Deus, se recepit anima mea, & ad umbram alarum tuarum me recepturus sum, donec transiverint ærumnæ: Idem igitur est, ac si dicat Psaltes, beati sunt omnes qui credunt in eum. Ubi notanda aurea illa Dn. Chemnitij p. II. L. C. observatio, quod ubi N. T. requirit fidem, ibi V. T. præcipit fiduciam: & in N. T. eadem tribuuntur fidei & credentibus, quæ in V. T. fiduciæ & confidentibus; unde rectissimè colligitur, fidem in articulo justificationis, juxtà phrasin scripturæ, significare non tantum notitiam, sed & fiduciam.*

חָסָה.

Fides est fiducia.

LOCI

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 10. de tempore gratiæ, Pſ. 95, 7. Heb. 10. 22. de pœnitentia, Job. 11, 13, Jer. 3, 14. de honore etjam malo Magiſtratui debito, Rom. 13, 1. 7. 1. Tim. 2, 2. 1. Pet. 2, 12 13. Actor. 26, 25. de officio miniſtrorum verbi in arguendis potentum vitijs, Eſ. 57, 2. Amos 7, 9. de reverentia verbo Dei debita, 2. Cor. 5, 20. Matt. 10, 14. de cruce tollendâ. Mat. 10, 38. Mich. 7, 7. Ex v. 11. de timore filiali, Mal. 1, 6. Rom. 8, 15. de piorum promptitudine in bonis operibus præſtandis. Pſ. 110, 3. 2. Cor. 9, 7. Ex v. 12. de æquali majeſtate filij Dei cum Patre, Joh. 5, 17. & 10, 30. 33. de cavendis peccatis eorumq; pœna. Eccl. 12 15. 2 Cor. 5, 10. de Dei ira propter ea, Pſ. 7, 12. 13. & 34, 17. de exitio impœnitentium, Mat. 25, 41. 2. Theſ. 1. 9. de felicitate credentium, Joh. 6, 40. 1. Pet. 1, 9. de fiducia fidei, ejusdemq; objecto præcipuo. Rom. 8, 38, & 5, 1. Act. 10, 43. 2. Cor. 1, 20.

Diſcimus quodnam ſit officium civium regni Chriſti erga ſuum regem, videlicet I. ut ejus monita ſalubria libenter audiant, & inde veram ſapientiam diſcant Pſal. 19. 8. & 119. 99. & 110. II. ut ejus caſtigationem patienter ferant Prov. 3, 11, 12. III. in filiali timore eum colant Mal. 1, 6. cultu divinæ majeſtati debito, qui cum omnia videat, piè vivant, cum omnia ſciat & ubiq; præſens ſit, in omnibus ei confidant Eſ. 41. 10. & 43, 2. Pſal. 91, 15. IV. Caveant, ne ad iram eum impia vita commoveant, quia facies Domini eſt contra facientes malum Pſal. 34, 17. & V. deniq; ab ipſo ſolo ſpe firma pendeant. Pſ. 27, 14. Chriſtianorum officia.

Conſolatio hinc oritur illa, quod pijs hæc omnia ſubjectionis officia ex gratia rex eorum largiter ſit remuneraturus Col. 3. 24. 2. Theſ. 1, 6. cum beatitudines omnigenæ futuræ ſint omni- Et promiſſum præmium.

sint omnibus ijs, qui se ad eum recipiunt Psal. 34, 9 & 37, 40. Mat. 5, 3, 4. Cui nostro regi æterno, incorruptibili, invisibili, soli sapienti Deo sit honor & gloria in seculorum secula, Amen 1. *Tim. 1, 17.*

OBITER NOTAMUS.

Bell. errat. in explicatione.

I. QUando *Bellarminus* ex vers. hujus Psal. 11. lib. 3. de Justific. cap. 12. pag. 268. probare conatur, *neminem de sua prædestinatione certum esse posse*, se, quis sit ejus dicti sensus genuinus, planè incertum esse, certiores nos fecit.

& versione.

II. Idem Bellarminus cũ in versu 12. illa verba Hebræa נַשְּׁקוּ־בַר rectè versa esse græcè, δεξάσθε παιδείας, & latinè *apprehendite disciplinam*, lib. 2. de verbo Dei cap. 19. pag. 159. 160. demonstrare annititur, se suaq; ipsius confundit. confer quæ dicit ipse lib. 2. de verbo Dei c. 2. p. 110. argumento 4. & cap. 11. pag. 151. & lib. 1. de Christo cap. 5. pag. 55.

ENAR-

ENARRATIO PSALMI TERTII.

CUm in hoc Psalmo prima habeatur Inscriptio, breviter in genere de illa notandum est, quod plerumq; petita sit ex causis Psalmorum I. efficiente secundaria, quum vel autoris nomen continet, qui conscripsit; vel musicorum, quibus decantandus est traditus, quorum præfecti in titulo sæpe fit mentio Ps. 4. &c. II. materiali, quum ex argumento desumitur, ut quando inscribitur מַשְׂכִּיל didascalicus Psal. 32. תְּפִלָּה oratio Psal. 17. תְּהִלָּה laudatio Psal. 145. III. formali, quandò à forma scriptionis aut modulationis musicæ inscriptio formatur שִׁגָּיוֹן oda varia Psal. 7. מִזְמוֹר Psalmus, cujus membra sunt breviora & quasi amputata, canendus instrumentis musicis. שִׁיר hymnus canendus voce, quò pertinẽt varia nomina instrumentorũ musicorum, quorũ in titulis fit mentio. IV. finali & usu, cui adhærent circumstantiæ & occasiones Psal. 3. 7. 9. 18. 30. 34. Hieronym. in procem. Psalter. *Quid est titulus, nisi clavis? ut in domum non ingredimur, nisi per clavem, ita etjam uniuscujusq; Psalmi intellectus non nisi per clavem, id est, titulum patet.* Inscriptio desumitur ex causis.

De Psalmi vero tertij inscriptione observandum est, quod tria ostendat. I. Genus inscriptionis. quod vocatur מִזְמוֹר hoc est, Psalmus, cujus membra sunt concisa singulari cura, ne quid redundaret, amputata, cum descendat à R. זָמַר id est, amputavit vites Lev. 25, 5. Quæ vox quia in Pihel significat psallere, & instrumentis musicis adhibere modulationes מִזְמוֹר.

dulationes artificiosas certis cæsuris & numeris incisas. alij dicunt מִזְמוֹר esse Psalmum instrumentis musicis artificiosè decantatum, cũ hæc ei sæpe adjũgantur Ps. 98, 5. & 144, 9. & 149. 3. Quibus favet, quod vox cognata זָמִיר significet minuritionem avium, variè incisam, qualis est philomelæ (Cant. 2, 12.

זָמִיר.

II. Nomen autoris secundarij, Davidis scilicet, cujus operâ in eo componendo usus est Spiritus Sanctus, quiq; fuit amœnus Psalmis Israëlitarum 2. Sam. 23, 1. 2. (De constructione vide thesaurum Buxtorfij p. 515.)

III. Occasionem, qua videlicet ad ejus compositionem fuerit adductus, quum nempe fugeret ipse, vel ut hebræa sonant, in fugere ipsum (De quo locutionis genere Buxtorf. in thes. p. 517. 518.) à facie (hebraicè dicitur מִפְּנֵי quod nomen dempto præfixo, quia nonnunquam hominis irati vultum notat Ps. 21, 10. Lev. 20, 3. quem metuimus & fugimus: sæpe significat idem, quod metu, ut Gen. 3, 8. & 7, 7. & 16. 8. & 35, 1. 7. Exod. 4, 3. 1. Reg. 12, 2. Psal. 57, 1. Absolomi filij sui, quæ historia descripta extat 2. Sam. 15, 14 & seqq. cap. Unde liquet, quid statuendum sit de illorum Interpretum sententia, qui dicunt hunc Psalmum πρώτως loqui de Christo, δευτέρως de Davide. Titulus enim hic aliud clamitat, cujus literam sine causa deserere mihi est religio.

מִפְּנֵי.

Argumentum. Summa est hæc: David seditiosi Filij sui Absolonis conspiratione è regno ejectus Deum pro sua & populi, tum qui ab ipsius stabat partibus, tum qui imprudenter ad Absolonẽ desciverat, salute in fide invocat, postquam de hostium suorum multitudine esset conquestus & eâdem perturbatus: Erectus vero vicissim omnipotentis Dei præsentia & in exaudiendo facilitate. Finis & usus est, ut Davidis exemplo confirmati, tum omnes servi Dei, tum inprimis in magistratu constituti, quum ab ijs, quibus præfecti sunt à Deo, injustè exagitantur, à

Finis.

Domino

Domino fiducia pendeant, opem illius implorent, & de exauditione haud dubitent.

Ἀνάλυσις

Psalmus est ἐνθυμηματικὸς, *constans* enthymemate, *cujus* partes *sunt* duæ: *Prior* antecedens, *continet duas causas consequentis, cur Propheta regius in afflictionibus Deo confidat, & ab eo pendeat, exauditumq; iri se speret: Earum prior à facti indignitate desumitur: quia, qui subesse mihi meritò debent, me oppugnant, & me angunt factis hostilib. v. 2. ac dictis blasphemis v. 3. & amplificatur ab eorum multitudine, potentia, impietate ibid. 2. 3. Posterior, ex natura Dei petitur, quia tu Jehova contra multitudinem sufficis solus protector, impietatem eorum, qua me ignominiâ afficiunt reprimis, dum me honore coronas & gloria, quæ tria prolepticè v. 4. posita, ac propria experientiâ porro probata, sigillatim postea repetuntur & explicantur: Defensio à malo sæpius jam precibus impetrata v. 5. gloriosa omnis boni communicatio, & inprimis in maximis periculis maxima securitas v. 6. Et hinc deniq; orta confidens protectionis Dei prædicatio v. 7.* Consequens *ipsam petitionem ex his causis deductam continet, in qua duo rogat I. Salutem dari sibi E. ò Deus surge, & fac me salvum v. 8. II. populo suo, & super populum tuum sit benedictio tua. Utriq; postulato tamen breviter novum argumentum adjicitur priori, quia antea me ab hostibus sæpe liberasti v. 8. Posteriori, quia tu solus es salutis auctor v. 9. unde totum hoc Enthymema nascitur: Ego injustè opprimor, & tu me antea contra hostes gloriosè defendisti invocantem. E. etjam nunc oppressum exaudi & libera. Major deest: Qui injustè à suis subditis opprimitur, regno ejicitur, ignominiosis dictis exagitatur, & Deum suum in fide invocat, certò exauditur.*

Partes duæ, I. causæ confidentiæ.

I.

2.

II. Petitio

I.

2.

PARS PRIOR.

Cur David causas afferat.

V. 2. CAusas in enthymematis antecedente David oratus adfert, non ut Deo persuadeat, qui est promtior ad dandum, quam nos ad accipiendum Eph. 3. v. 20. Ps. 81, 11. (Joh. 16.) sed ad fidem suam firmandam & attentionem acuendam. Earum prior quatuor exornatur figuris Rhetoricis I. Exclamatione, quando statim se convertit ad Jehovam, ut det significationẽ sui doloris, q.d. Cum jam nesciam, quid agã, in te defixi sunt oculi mei, ô Jehova 2. Chron. 20, 12. ad te in angustia mea clamo Ps. 120, 1. qui ut semper unus & idem natura es, ita etjam officio fœdere & operibus, & proinde vindicabis me ab hostibus immerito oppressum, cum sis judex terræ, Deus meus & pater meus, qui me & alios antea juvisti.

Exornat figuris quatuor.

1. Exclamatione.

2. Anaphora.

II. Anaphorâ. Quia verbum רַבַּב cum nomine cognato רַב in initio membrorum expresse ter repetitur & ex usu hebr. linguæ implicitè totidem subintelligenda particula מָה initio sententiæ posita, quando ait: Quam multi sunt hostes mei, quam multi insurgunt, quam multi dicunt. Quod enim de particula לֹא notat Buxt. thes. p. 509. & D. Hafenreff. L. de scriptura, de similibus etjam accipiendum est, ut patet de particula מִי Ps. 106, 2. & 89, 49. Es. 41, 4. אֵיכָה Thren. 1, 1. 2. 3. 4. 5. & 2. versibus prioribus. 9. אַל Deut. 33, 6. עַד־מָה Ps. 4, 3. & 89, 47. לָמָּה Ps. 10, 1. אַיֵּה Psal. 73, 19. עַד מָתַי Psal. 94. 5. 6. כִּי Es. 22, 1. 2. 3. לְמַעַן Psal. 9, 15. אַיִן Gen. 2, 5. 6. In הֲהֲלֹא Interrogationis Job. 13, 15. ex v. 7. 8. 9. 11. 16. vide Schind. l. 2. Gram. p. 54. 55. Et hæc parva observatio magnum habet usum III. Homoioteleuto, cum membra versus secundi in textu hebræo similes habent exitus עָלַי צָרָי.

Particula in initio sententiæ posita in reliquis membris subintelligenda.

3. Ομοιοτελευτον.

4. Μιμήσει.

IV. Μιμήσει cum verba suorum hostium psaltes regius imitatur v. 3. Parum etjam abest, quin perfecta hîc reperiatur climax;

climax: *Magna siquidem est calamitas, à multis ita hostiliter premi & quasi obsidione cingi, quod vox* צור *id est, arctè obsedit, notat. Major vero afflictio, non tantum ab hostibus valde angustari, sed etjam ab ijs superari, & inferiorem evadere, quod consequens membrum indicat.* קום *enim hoc loco ob subjectam materiam & constructionem, cum præpositione* על *sonat, contra aliquem insurgere ita, ut nequeat ferre impetum: sed succumbat, quod præpositio illa ab* עָלָה *id est, adscendit, deducta innuit. Sic Ps. 54, 5. & 86, 14. & 92, 12. Maxima deniq; est tristitia, etjam in malis acerbè illudi, adeo ut de gratia Dei dubitare incipias, quod sibi contigisse præter superiori versu exposita mala David v. 3. explicat:*

Climax.

קוֹם עַל

Vers. 3.] Quod multi dicant animæ suæ, non est ulla salus isti in Deo, *ut cum hac exprobratione, quod Deus haud ipsi sit propitius, ad desperationẽ adigant, & cum aliàs in re mala, si animo utare bono, adjuvet, hic id agunt adversarij Davidis, ut animum abjiciat.*

Alij præfixum לְ *exponunt per* מִן, *dicunt inter se de anima mea, ut exponitur hoc præfixum Gen. 20, 13. Ps. 91, 11. Atq; ita se hoc sermone in malo proposito obfirmant, non est ulla salus (quod indicat in voce* יְשׁוּעָתוֹ *duplex nota fœminini generis: cum omnis geminatio literæ, vocis aut phraseos apud hebræos significationem adaugeat) tam hujus, quàm futuræ vitæ, ipsi Davidi in Deo, sed rejectus est in æternum Ps. 44, 24. & 74, 1. Priori huic causæ subjicitur vox* סֶלָה *quæ in Psalterio septuagies semel, & ter in Habacuc reperitur, aliàs nusquam in biblijs, & semper in fine versus, exceptis quatuor locis, ubi in medio occurrit Psal. 55, 20. & 57, 4. Habac. 3, 3. & 9. de cujus significatione valde discrepant interpretes.* Jonatham *vertit in secula.* Aben Ezra *in veritate, certe.* LXX. διάψαλμα, *quasi in eo loco, ubi ponitur, sit musicæ melodiæ muta-*

מִן pro לְ.

Geminatio omnis apud hebræos emphatica.

Sententiæ diversæ.

de סֶלָה

1.

2. 3.

4. dia mutatio. Aquila semper. Alij dicunt esse vocem, quâ op-
5. tatur alicui felicitas, ut sit idem, quod Amen, quod probant e-
xemplis depromptis partim ex precibus Judæorum, partim ex
eorum Epitaphijs: ut, exaudiat nos Deus, qui sedet ab æterno
Sela. Basileæ scriptum est in lapide, Anima ejus sit ligata
6. in cœlo, Sela. Nonnulli tantum esse notam aspirationis ajunt:
7. quidam epiphonematicè reddunt, quasi tantum valeat, O
8. rem gratam & acceptam Deo! Paulus Burgensis arbitratur
esse dictionem encliticam, poëtis tantum usitatam ut expleatur numerus & modulatio versus. Vide Reuchlini capita
concordantiarum. & M. Barthol. Rathman in σιωπηφία
9. Psalterij. Joh. Bodin. lib. 2. c. 4. Dæmon. singulis
10. Psalmorum locis, ubi legitur Sela, qui canebant illud, unà cum
corpore attollebant vocem. Kimchi vult ea indicari exaltationem vocis, quasi esset à סָלַל Cui tamen forma grammatica repugnat. Alij deniq; putant, quod sit nota pausæ & attentionis animi, quæ sententia & omnium maximè verisimi-
ex סָלַל. lis, & derivationi hujus vocis optimè congruit: סֶלָה namq; straviť significat, ut hac voce indicetur eam esse sternendæ ac remittendæ vocis in cantu indicium, ut tantò melius verba præcedentia considerari queant, quæ magnum & notatu dignissimum quid continent: Unde non ineptè à quibusdam pro diversitate loci redditur per intendendi adverbium.

Vers. 4.] Posterioris causæ tria sunt membra, tribus præcedentibus climacis gradibus opposita, licet ordine aliquantum inverso, eaq; vers. 4. breviter proponuntur; sequentibus tribus latius explicantur. Cum enim superius multorum hostium
adversativè. fecisset mentionem, hic unum Jehovam appellat: At tu (enim hoc loco conjunctio adversativa est, prout Ps. 1, 6. & 2, 6. 10.) Jehova solus Ps. 4, 9. contra tot hostes crudeliter grassantes clypeus & scutum es circa me, & ab omni parte me protegis contra.

contra eorum violentiam Gen. 15, 1. מָגֵן enim à נָגַן id est, protexit circummuniendo, ut urbem muro cives 2 Reg. 20, 6. hortum septo hortulani, clypeo corpus milites muniunt. בַּעֲדִי v. compositum est ex ב præfixo, particula עַד i.e. usq; & aff. 1. pers. masc. gen. q.d. ad usq; me, à quacunq; parte possunt hostes ad me usq; pertingere, tu te objicis & me protegis. Illi ignominiosè meam in te locatam fiduciam derisui & ludibrio habent dicentes: Ubi est Deus tuus, quo gloriabaris Psal. 42, 4. 11. At in te nihilominus est salus mea & gloriâ mea Psal. 62, 8. quia per salutem tuam, qui es rex gloriæ Psal. 24, 7. 8. magna est gloria mea, eo quod posuisti decus & majestatem in me Psal. 21, 6. Illi insurgunt contra & super me, ut conculcent in terrâ vitam meam, & faciant ut gloria in pulvere habitet Psal. 7, 6. graviter impellunt me, ut cadam, sed tu Jehova es mihi auxilio Psal. 118, 11. Tu extollis caput meum, & facis ut patientia mea victor evadam, glorioseq; me contra hostes efferam, quemadmodum phrasis hæc in scriptura accipitur Psal. 27, 6. & 110, 7.

בַּעֲדִי.

Attollere caput.

Vers. 5.] Hæc omnia ex singulari sua experientia porrò confirmat & v. 5. quidem modum ostendit, quo protectionem Dei in omnibus angustijs impetravit, videlicet orationem piam, cujus effectum subjicit, & circumstantia quadam loci Deo ἀνθρωποπαθῶς tributi illustrat, voce mea, qui in benignitate Dei fiduciam habebam, & cujus animus exultabat in salute ejus, Psal. 13, 6. voce mea ad Jehovam, qui est à seipso, & à quo omnia, non modo soleo orare tacitus, sed elata voce significativa, conceptis & expressis verbis clamo more præconis, ut vox קָרָא accipitur proprie Gen. 41, 42. Exod. 32, 5. 2. Reg. 10, 20. Esa. 40, 3. & ab alijs verbis clamorem significantibus distinguitur, quando cum particulis לְ, אֶל, עַל construitur: Unde græci in N.T. illud verbum vertunt κηρύσσειν Matth. 12, 41. Luc. 4.

קָרָא.

Κηρύσσω.

41. Luc. 4, 19. quanquam aliquando etjam solus ardor fidei, non prorumpentis in externum clamorem hoc verbo indicatur, cum & ille in auribus Dei sit clamor Jon. 2, 2. Quandocunq; igitur clamare soleo (sic enim sæpe futurum exponi potest, ut dictum est Ps. 1. 2. Buxtorf. in th. p. 95.) seu quando tantum clamare incipio, quod futuri temporis verbum in textu hoc loco potius indicare videtur Exod. 14, 15. jam exaudivit me Esa. 65, 24. & respondit mihi ad meam petitionem, & reipsa præstitit quod postulo, ut ita ex eventu certus essem de exauditione, quia alias Deus quandoq; jam statuit se daturum, quod petitur, sed nondum revelat petenti, ut in fide probetur Dan. 10. 12. Nam sic verbum עָנָה Deo attributum exponendum esse de προφοείᾳ in nobis à Deo excitata, vel de rei postulatæ præstatione exsimilium locorum collatione patet, Ps. 4, 1. 5. & 13, 4. & 17, 6. & 20, 2. 7. 10. & pro tunc seu statim, crebrò poni notum est Gen. 18, 10. Exod. 7, 9. 11. Ezech. 12, 25. 28. Ut καὶ in N.T. sæpe Matth. 8, 9. & 9, 7. Mar. 7, 1. Luc. 21, 25. & particula Atq; apud Latinos scriptores sæpissimè eadem significatione occurrit. Et quia oculi mei non sunt ad hos montes Ps. 121, 1. exaudivit me Deus ex monte sanctitatis suæ, qui est Ecclesia, cujus typus est mons Sion, de quo Ps. 2, 6.

Respondere id est, exaudire.

עָנָה,

id est statim.

Vers. 6. Ex hac Dei erga me benignitate & promptitudine cum alia multa bona mihi obvenerunt, tum inprimis maxima in omnibus periculis securitas nata est, adeò ut in medio hostium meorum somnum potuerim capere. Ego enim toties à Saule fugatus, cubui nihilominus somnumq; cepi. Et jam à filio ex regno ejectus itidem cum pace recubui, nec insomnes duxi noctes; sed condormivi securè, quando ad somnum me composui, neq; ita perturbatus sum curis bellicis, ut eum abrumpere coactus fuerim: Verum cum naturæ factum satis, me ipsum

ipsum naturali modo expergefieri, *ut solent, qui secure in aurem utramvis dormiunt, qualis securitas hoc loquendi genere indicatur* 1. *Sam.* 26, 7. *Ps.* 4, 9. *Mar.* 4, 27.

Causam hujus securitatis supernaturalis, non suæ prudentiæ, sed ei adscribit, per quem subsistunt omnia, videlicet Jehovæ, *qui velut porrectâ manu sustentat eum, quo tanquam firmissimo nititur fulcro, quod verbo* סָמַךְ *significatur* 2 *Reg* 18, 21. *Unde eleganter verterunt LXX.* ἀντελάβετό μου *ut Luc.* 1, 54. *Aliàs idem verbum hebræum significat, alicui bona ita abundanter præstare, ut illis quasi fultus à malo sit tutus Gen.* 27, 37. סָמַךְ.

Vers. 7.] *Hanc sententiam porro consequitur magnifica prædicatio fidei contra hostes, quæ per* μείωσιν *primum proposita v.* 7. *amplificatur porro oppositione multitudinis hostium, & modi periculosissimi. Pro eo enim, quod dicendum fuerat Psalmistæ, propterea quod Deus est Lux & salus mea Ps.* 27, 1. *fultus animo meo Ps.* 112, 8. *promissione Dei Prov.* 3, 24 25. *securè habito Ps.* 4, 9. non timebo, *inquit, timore ullo vel levissimo, quem vox* יִרְאֶה *indicat, de qua Ps.* 2, 11. à myriadibus, *vel multitudine populi maxima, quæ terræ aspectum operit Num.* 22, 5. *siquidem nomen plurale* רִבְבוֹת, *quo ad v.* 2. *remittit, à radice* רָבַב *multus fuit, &* עַם *ab* עָמַם 1. *texit vel operuit derivatum id innuit. Hanc fiduciam illustrat ulterius adjectione modi periculosissimi, quo eum oppugnant hostes, videlicet quod circum circa & ab omni parte disposuerint insidias & castra contra ipsum, ut ita nullus elabendi modus sit, sicuti ipsi hostes, humana tantum auxilia respicientes existimant Ps.* 118, 10, 11. 12. & 142, 4. *sup. v.* 4. *Quod circumvenerint & occlusum teneant, notat* סָבַב *à* סָבִיב *i. e. circuivit, circumstetit deductum. Quod vero omnes vires exerant, ut omnes elabendi rimas obstruant, ne evadat,* רִבְבוֹת. עַם. סָבִיב.

שׁוּת. *innuit vox* שׁוּת *i. e. posuit firmiter, ut qui locant fundamenta Psal. 11, 3. & cum simpliciter sine adjecto nomine ponitur constructū cum* עַל *quandoq; significat disponere & dirigere contra aliquem omnes belli machinas, omniaq; stratagemata in ipso expugnando adhibere, ut hoc loco & Esa. c. 22, 7. LXX. satis bene expresserunt vertentes* τῶν κύκλῳ συνεπιτιθεμένων μοι.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 1.] *I. de causa calamitatum, videlicet peccato Job. 5, 6. Psal. 39, 12 Genes. 3, 14. 16. II. De eo, quod sæpè heroum filij noxæ, ut exemplo est Cain, Cham Ismael, Esau, Amnon Prov. 19, 18. 18. Sirac. 16, 1, &c. III. de fuga in persecutione personali licita Matt. 10. 23. & 14, 13. Act. 9, 25.*

Ex v. 2.] I. de solo vero Deo invocando Mat. 4, 10. Esa. 42. v. 8. 10. & 63, 15. 16. II. de inconstantia vulgi & inprimis subditorum, si quando inclinat felicitas principis Psal. 41, v. 10. & 55, 14. Sir. 6, 8, seqq. III. de causis, cur Deus pios sinat cruce affligi Jer. 30, 11. Esa. 26, 16. Thren. 3, 27.

Ex. v 3.] I. De impiorum ἐπιχαιρεκακίᾳ *& sarcasmis Psal. 25, 2. & 70, 2. 3. Sir. 8, 8. II. de dubitatione super veritate promissionis divinæ vetita Mat. 14, 31. 1. Joh. 5, 10. Jac. 1, 6. 7. III. de attentione in lectione & auditione verbi divini adhibenda Joh. 5, 39. 1. Tim. 4, 13. Act. 16, 14. Rom. 12, 11.*

Ex v. 4.] I. De Dei singulari cura & protectione erga pium magistratum Psal. 20. & 21. Esa. 22, 23. 24. Prov. 8. 15. II. de fiducia fidei singulari Joh. 20, 28. Gal. 2, 20. Psal. 23, 1. & seqq.

Ex v. 5.] I. de ardore in precibus adhibendo Joh. 4, 24. Luc. 22, 44. Jac. 5, 16. seqq. II. de spe exauditionis certa Psal. 42, 6. Hab. 2, 3. Sir. 7, 9.

Ex v. 6.] I. De beneficiorum Dei memoria & celebratione Psal. 103,

ne Pſ. 103, 2. & 13, 6. II. de ſingulari Dei providentia & ſuſtentatione Pſ. 144, 1. ſeqq. Gen. 7, 16. Job. 1, 10. Pſ. 37, 24.

Ex v. 7.] *I. De infirmitate omnium hoſtium Eccleſiæ, ſi ad Deum protectorem conferantur Pſ. 46, 11, 12. ſeqq. & 39, 6. & 62. II. de ſtudijs eorundem malignis Pſ. 5, 10. & Pſ. 10, 8. 9. 10. & 22, 13.*

Diſcimus ex hac parte I. quis ſit modus ex cruce emergendi, videlicet, ſi primum *peccata noſtra agnoſcamus Pſ. 32, 3. 4. 5. & 51, 5. non tam quiritemur contra pœnas peccatorum, quàm perſcrutemur vias noſtras, atq; revertamur ad Jehovam Thren. 3, 39. 40.* Secundò *eundem invocemus, effundamus coram eo meditationem noſtram, anguſtiam noſtram coram eo indicemus Pſ. 142, 2.* Tertio *firmis conſolationibus contra abjectionem nos erigamus, quod non in æternum litiget Dominus, neq; in ſeculum iram aſſervet Pſ. 103, 9. ſed det ſalutem rectis corde Pſ. 7, 11. & 13. 1.* Quartò *ſpem firmam de exauditione concipiamus, cum ſit clypeus Pſ. 7, 11. edita arx tenui Pſ. 9, 10. & alios invocantes ſe exaudivit Deus Pſ. 34, 7. & 22, 5. 6. quorum exemplo confirmati ſecuri vocationis noſtræ obeamus munia.* Modus ex cruce emergendi. 1. 2. 3. 4.

II. Quæ conſolationes perſecutioni opponendæ ſunt, nempe primò multitudini hoſtium ſolus Deus Pſ. 86. v. 10. qui facit mirabilia opera magna ſolus Pſ. 136, 4. cui ſoli nomen eſt Jehova Pſ. 83, 19. qui contendit adverſus contendentes nobiſcum & impugnantes nos Pſ. 35, 1. qui cum ſurgit, diſperguntur inimici Pſ. 68, 2. Secundò *Potentiæ eorum obvertenda eſt hujus omnipotentia, dicendo, Jehova adeſt mihi, non timebo; quid faciat mihi homo? Pſ. 118, 6. Tantum vanitas ſunt, nati plebejo homine, mendacium ſunt, nati præſtante viro, lancibus illi ſimul impoſiti aſcendunt ſupra vanitatem Pſ. 62, 10.* Tertio *denig; ludibrio eorum & ignominioſa* Conſolationes in perſecutione.

minioſæ exagitationi ſecutura futuræ vitæ gloria Rom. 8, 18. 2. Cor. 4, 17.

SECUNDA PARS.

David orat I. pro ſe.

Verſ. 8.] CONſequens petitionem ex cauſis in antecedente allatis infert duplicem: *quarum prior ipſum ſupplicem Davidem v. 8. poſterior ejus ſubditos concernit v. 9. Illius duo ſunt membra:* 1. *poſtulatum.* 2. *ejus cauſas continet.*

Poſtulatum duplex eſt: Surge & ſalvum fac me: *Illud ad hoſtes Davidis, qui contra ipſum inſurgebant v. 4. Hoc ad ipſum pertinet, cui nullam amplius in Deo reſtare ſalutem, ijdem blaſphemabant v. 3.*

Surgere Deus quomodo dicatur.

Surgere vero Deus dicitur ἀνθρωποπαθῶς, cum ad opus liberationis & vindictæ impiorum procedit Pſ. 35, v. 2. & 12, 6. & 7, 7. & 9, 20. à quo hactenus ceſſare videbatur & quaſi dormire Pſ. 78, 65. & 94. 1. 2. ſalvat autem, cum à malo liberat, & bono cumulat Hoſ. 14, 3. 4.

Cauſæ huic poſtulato adduntur tres ab eo. (1.) *à natura Dei, quia es* Jehova. (2.) *à fœdere gratioſo ſecum inito, quia es* Deus meus *Gen. 17, 7. 8.* (3.) *ab experientia ſua & operibus antea præſtitis, quãdo non tantum in ſimilibus caſibus me eripuiſti ab hoſtibus; ſed etjam eos ignominia affeciſti, & imbelles reddidiſti. Quæ duo ſignis externis indicat, cum eos cæſos* maxillam & dentium excuſſionem *paſſos ait: Quorum illud ad contumeliam, quâ ſunt affecti: Hoc damnum, quod ſunt perpeſſi, deſignat, quia eis tantum colaphos impingimus, quos nihili facimus, quosq; nullo in precio eſſe volumus 1. Reg. 22, 24. Thren. 3, 30. Matt. 5, 39. Joh. 18, 22, 23 & feris captis, quas domare aliàs nequeunt venatores, dentes confringunt atq; ita exarmant, exarmatas pro libitu tractant.*

Cædere maxillam eſt ignominiæ.

In priorâ

In priori phrasi הַכִּיתָ לֶחִי *est ellipsis præpos.* עַל *quæ expressè adjecta est 2. Chron. 18, 23. Job 16, 10. Mich. 4, 14.*

Vers. 9.] In posteriori postulato, quo populo suo David omnia prospera precatur per ὕστερον πρότερον *causa præponitur:* Jehovæ *est salus, apud quem est benignitas & copiosa redemptio Ps. 130, 7. qui potest dare salutem regibus Ps. 144, 10. & à quo vera salus justorum est Ps. 37, 39. cum vanitas sit salus humana Ps. 60, 13.* II. Pro suo populo.

Subjicitur petitio: Ideò, ô Jehova, super populum tuum, *tum qui me sequitur fidei mihi datæ memor 2. Sam. 15, 15. 17. tum qui quidem jam contra me regem abs te ipsi præpositum ab Absolonis stat partibus, sed integro animo, neq; conscius est, ullius sceleris seu conspirationis ibid. v. 11. Et licet abs te mihi olim regendus sit concreditus 1. Sam. 16, 1. tamen tuus est, tuum peculium Deut. 7, 6. quem velut vitem ex Ægypto transtulisti ac plantasti Ps. 80, 9. Ideoq;* tua benedictio *& omnimoda salus abs te salvatore ejus ipsi contingat, cujus dicere est facere Ps. 33, 9. & benedicere beneficia conferre Gen. 1, 22. & 12, 2. Ut alias vox* בְּרָכָה *non tantum benedictionem, sed & donum ex benevolentia profectum notat 2. Reg. 5, 15. 1. Sam. 25, 27. & verbum* בָּרַךְ *quod aliàs benedicere significat, in accessu salutando, in discessu valedicendo, etjam munerari designat Jos. 22, 7. Esa. 66. 3. Atq; ita utrumq; tam nomen, quam verbum græcum in N. T. accipitur Matt. 24, 34. Eph. 1, 3. Ebr. 6, 7.*

בְּרָכָה i. e. donum.

בָּרַךְ notat munerari.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 8.] I. de Dei justitia vindicante improbos Ps. 7. 12. Exod. 20, 5. Ps. 58, 7. 12. II. de fœdere Dei cum pijs Gen. 17, 7. Esa. 59, 21. Ps. 105, 8. 10. III. De malo pœnæ quod sit à Deo, Amos 3, 6. Esa. 45, 7. Eccl. 7, 14.

Ex v. 9.] *I. de fiducia non collocanda in homine Pſ. 118, 8. 9. & 146, 3. 4. 5. II. de Dei favore erga pios Pſ. 5, 13. & 116. 6. Exod. 20, 6.*

Unde expectandum in malis auxilium.

Diſcimus, unde ſit nobis expectandum in cruce auxilium, videlicet à Jehova Pſ. 121, 2. Deo noſtro Joh. 20, v. 17. Cujus eſt ipſa ſalus Oſe. 13, 9. & qui benefacit populo ſuo Pſ. 51, 20. qui liberavit alios ex periculis Pſ. 22, 5. 6. & noſtros inimicos, niſi reſipuerint, ſeverè puniet Pſ. 10, 15. Quæ doctrina quia ſæpius in Pſalmis recurrit, latius cum Deo alibi explicabitur. Conſolatio hic ſuppeditatur, quod ut Deus in malos eſt ſeverus judex, , ita in bonos & pios ſit gratioſus vindex Exod. 20, 2. 6. Nahum 1, 4. 5. ſeqq. Job. 19, 25.

QVÆSTIO.

Cum dicitur v. 3. Non eſt ipſi ſalus ulla in Deo, atq; eo de gratia Dei dubitare jubetur David, qui tamen in ſequentibus de fide ſua in Deum, & hujus in ſe favore gloriatur QVÆRI *hoc loco poteſt:* Undenam etjamnum homo ſcire poſſit, ſe vera fide prædituм, & proinde apud Deum eſſe in gratia? *quod ut probemus ipſi, præcipitur 2. Cor. 13, 5. 1. Joh. 5, 13. R. duplicia ſunt κριτήρια, quibus id probare licet: alia ex parte Dei fideliter promittentis, ſeriò offerentis in verbo, & certò omnibus media à ſe ordinata rectè uſurpantibus dantis fidem Heb. 10, 23. Rom. 11, 29. 1. Tim. 2, 4. qui cum mentiri, aut ſe abnegare nequit Ebr. 6, 18. 2. Tim. 2, 13. de complemento promiſſionis ejus in nobis dubitare haud debemus 1. Joh. 5, 10. Quò accedit obſignatio Spiritus Sancti, qui eſt pignus hæreditatis per fidem olim conſequendæ 2. Cor. 1, 22. Eph. 1, 13. 14. Alia ex parte noſtra, quum conſideramus in nobis fidei proprietates Tit. 1, 1. 2. & opera-*

Q. Unde quis poſſit eſſe certus de gratia Dei.

R. Ex parte Dei,

Et noſtrâ.

& operationes Gal. 5, 6. Hebr. 10, 36. Illæ sunt quasi essentiales Christiani veri, ut notitia articulorum fidei, assensus & fiducia Joh. 20. 31. 1. Pet. 1, 8. Hæ, necessarium consequens seu adjunctum perpetuum, ut omnia bona opera, eorumq; serium studium Mat. 7, 17, 2. Pet. 1, 10. 1. Joh. 3, 14. qualia sunt lucta cum infidelitate Mar. 9, 24. & reliquijs carnis Gal. 5, 24. studium diligendi Deum, inserviendi proximo 1. Joh. 4, v. 19. 20. faciendi officia vocationis Matt. 25, 23. patientia in adversis Rom. 5, 4. 5. modestia in secundis Ps. 62, 11. Jer. 9, 23. qui fructus Spiritus Gal. 5, 22. arborem bonam Matt. 12. 33. à patre cœlesti plantatam Matt. 15, 13. & Christo insitam esse Joh. 15, 1. demonstrant Jac. 2, 18.

ENARRATIO PSALMI QVARTI.

Titulus Psalmi quarti מִזְמוֹר לְדָוִד

TItulus Psalmi hujus tria monet: quod sit (1.) genus scriptionis, voce מִזְמוֹר (2.) Nomen authoris secundarij, David, de quibus supra Ps. 3, 1. (3.) officium ejus, cui Psalmus hic cantandus est traditus, לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹת videlicet præfecto organis musicis, quæ solent pulsari, quod græcè diceres ἐν ψαλτηρίοις τῶν κρουσῶν: Hæc enim vocum istarum duarum variè à varijs redditarum (LXX. εἰς τέλος id est, לַמְנַצֵּחַ Hieron. *Victori.* Aquila Νικοποιῷ. Drus. lib. 3. obs. c. 18.) simplicissima est interpretatio, quæq; argumento inscriptionis quàm optimè congruit.

לַמְנַצֵּחַ

Earum prior est Benoni Piel cum præfixo, ob quod in nomen dege-

נְצַח. men degenerat à R. נָצַח i.e præfuit, vicit. Et quia præfectorum est alios vincere & superare officio, authoritate: Hinc etiam hoc verbum significat operas sollicitavit & ursit 1. Chron. 23, 4. Esræ. 3, 8. 9. Unde intelligimus מְנַצֵּחַ in genere esse eum, qui græcis ἐργοδιώκτης, ἐργοεπισάτης dicitur 2. Chron. 2, 2. 18. & 34, 13. hoc loco & in specie præfectum musicæ organicæ, aliàs præcentorem dictum (Ein Cappelnmeister.)

נְגִינָה. Posterior est nomen plura. fœmini. cum præfixo, cujus singulare נְגִינָה pulsationem musicam, & per metonymiam ipsum instrumentum musicum quod pulsatur, denotat, cum derivetur à R. נָגַן, quod idem est, cum græco κρούειν, latinè pulsare instrumenta musica, sive id fiat plectro, sive digitis, ut canitur cheli & cithara 2. Reg. 3, 15. 1. Sam. 16, 16. Qualia instrumenta musica græci ψηλάφητα vel κρουσὰ vel ἔντατα vocant ad differentiam eorum, quæ ab ipsis πνευματικὰ sive ἔμπνευστα ab hebræis Ps. seq. נְחִילוֹת nominantur.

נָגַן. Κρούειν.

נְחִילוֹת. Quid notet illud in titulis Psalmorum.

Concludimus igitur Psalmum hunc & reliquos hoc titulo notatos à Davide traditos esse præfecto musicorum, seu chori symphoniaci magistro. 1. Chronic. 16, 4. 5. 6. 7. ut is curaret eos organis pulsatilibus & fidibus decantandos in publico piorum cœtu Esa. 38, 20. Hab. 3, 19. attentionis & affectus convenientis in auditoribus excitandi gratia 1. Sam. 16, 16. 23. & 2. Reg. 3, 15. 1. Sam. 10, 5. Lutherus reddit, vorzusingen wie der Cantor (addi potest oder die Musicanten/ ut hodie Organistæ nostri) vor singet / vnd der Chor hinnach singet / quæ sententia nostram ex ritu moderno explicat, quod B. Luthero est solenne. Bellarminus vero longe alia hic affert. Secundum hebraicam lectionem (inquit) significatur, Psalmum datum esse Magistro Cantorum, quæ res non videtur adeo gravis, ut debuerit extare in divinis libris ad

æternam

æternam rei memoriam. at secundum lectionem LXX. significatur, hunc Psalmum esse canendum in finem i. e perpetuò & frequentissimè, quod est signum, Psalmum esse unum ex melioribus & utilioribus. Accedit intelligentia mystica, quod sit Psalmus ad Christum pertinens, qui est finis legis & Prophetarum.

Sed Respondemus I. si est secundum hebraicam lectionem, est verior, quia textus hebræus est authenticus & incorruptus: LXX. græcorum versio sæpe errat, si modo illa græca, quæ hodie extat, est LXX. quod non credimus. II. Errat hic corrector suâ censurâ. Cum enim aliàs scriptura ipsos ordines cantorum prolixè describat, non inconvenienter hîc etjam in Psalmorum titulis breviter eorum facit mentionem: & quum Psalmus magistro cantorum datus dicitur, intelligimus, illum esse unum ex præcipuis, quum tanta cura canendus præcipiatur. Contra vero illud in finem, *non quadrat, quia omnes Psalmi, utpote verbum Dei, in perpetuum & frequenter debent cani. Mystica interpretatio est aliena, quia neq; alij multi Psalmi, quibus est præfixus iste titulus, agunt de Christo principaliter, ac primariò, nisi quatenus is est totius scripturæ sacræ scopus. Verum ita hi Psalmi titulo isto insigniti à reliquis non differunt. Et si valeret à Cardinali adducta ratio, titulus ille quàm maxime Psalmo secundo & 110. & alijs nonnullis, qui sine dubio tantùm agunt de Christo, competeret quod est falsum. Valeat igitur is cum suis Commmentis, nos hebraicam veritatem amplectimur.* Bellarminus refutatur.

Argumentum *& summa hujus Psalmi: David contra hostes & calumniatores suos Dei auxilium invocat, quos reprehendit & ad resipiscentiam hortatur, à vanitate avocat, ad verum bonum invitat, in quo se acquiescere securum profitetur. Finis ejus & usus est, ut in angustia constituti ad Deum* Psalmi 4. argumentum. Finis.

solum confugiamus precibus, nostros inimicos & oppressores amicè hortemur ad pietatem, atq; ita de exauditione haut dubitemus, cum omninò futurum sit, ut Deus nos exhilaret luce vultus sui.

Quando scriptus sit Psalmus.

Ex argumento Psalmi occasionem & tempus non obscurè colligi posse existimant nonnulli interpretes, qui vel ad persecutiones Saulis, vel ad filij Absolonis rebellionem referunt, cum in angustia constitutus Deum invocet, magnates & aulicos optimè dicta & facta à se in deteriorem partem interpretantes reprehendat, & ut in viam redeant, moneat. Confer titulos & argumenta Ps. 52. 54 57 59. & præcedentis tertij.

Ἀνάλυσις

Partes duæ I. petitio. II. hortatio.

Psalmus est εὐκτικὸς καὶ παραινετικός: *Ejus* duæ *sunt* partes: *quarum* prior *continet petitionem ad Deum, ut Davidi sit gratiosus ac invocantem exaudiat v. 2.* Posterior *complectitur hortationem piam ad hostes ejus directam: cujus* duo *sunt*

Recedant à malo.

membra: prius *ut recedant à malo: tum quo ipsum afficiunt, videlicet calumnia, tum quo seipsos miserè decipiunt, vanitate scilicet, & mendacio, quæ ipsis bonum apparens sunt, v. 3. probat inserta causa, quia Deus Davidem sibi separavit quem tueatur & exaudiat v. 4. Concludit: Itaq; odium suum probè apud se considerent v. 5. & re rectè considerata, cum vident*

Sequantur bonum.

se peccasse resipiscant, & hoc ipsum factis pijs probent v. 6. Posterius, *ut sequantur deinceps verum bonum. Quodnam hoc sit, ostendit primùm oppositione studiorum improborum, qui omnes bonum natura appetunt, sed apparens & fugax sequuntur v. 7. (2.) suo exemplo quid, & quomodo ipse à Deo rogare id soleat ib. (3.) Ex effectu duplici, gaudio scilicet conscientiæ v. 8. & pace seu securitate summa v. 9. Illud amplificat per comparationem v. 8. hanc adjecta ejus causa principali versu 9.*

PARS

PARS PRIOR.

Vers. 1.] IN precatione Davidis duo sùt notanda, ipsa petitio Ἐπμονὴ illustrata, & causæ ejus. Quemadmodum n. in alijs negotijs ardens affectu aliquo sæpè idem repetit: Ita etjam ardens Davidis invocatio tribus verbis ferè æquipollentibus continetur, quorum I. est עֲנֵנִי Responde mihi, ô Deus ad mea vota, ac intus Spiritu & verbo tuo me consolare, certioremq; de favore tuo redde: Foris vero opere ipso juva & præsta, quod peto, ut supra Ps. 3, 5. & pro tua mansuetudine me pauperem ex afflictione libera: ne surdum agas, quum ad te inclamo Ps. 28, 1. & 109, 1. sed adverte aurem ad lachrymas meas Ps. 39, 13. ne tardes Ps. 70, 6. sed festinanter responde mihi Ps. 102, 3.

Ἐπμονὴ.

Responde i. e. exaudire ac juvare.

Cum ita in genere Dei alloquium, hoc est, auxilium rogasset, altero verbo exprimit, quid potissimum petat, videlicet gratiam & favorem Dei: חָנַן enim significat gratiam fecit, gratiosè largitus est Gen. 33, 2. Sam. 12, 22. Hanc vero in specie tam anxiè petit, quia gratia Dei mentibus piorum sufficit, tanquam fons benedictionum omnium, infra v. 7. & 2. Cor. 12, 9. ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου. Tertio verbo indicat, in quo nunc cupiat hanc gratiam sibi probari à Deo, videlicet ut exaudiat orationem ipsius, nec ipsi suam in exaudiendis supplicantium precibus clementem promptitudinem deneget. Ubi notanda est emphasis nominis תְּפִלָּה cum sit propriè oratio illius, qui supplex per advocatum implorat opem judicis, ut causam ipsius justam & innocentiam vindicet פָּלַל enim, unde descendit in Pihel significat judicium exercuit: In hithpaël judicem per advocatum compellavit Gen. 20, 7. 17. Num. 11, 2. Hinc, (ut ita ex N. T. huic voci lucem faciamus) תְּפִלָּה dicimus esse illam hominis precationem, quæ fit per mediatorem

חָנַן

תְּפִלָּה

פָּלַל

JEsum Christum Dan. 9, 17. Ps. 132, 10. Rom. 5, 2. & 1. Tim. 2, 5.

Deus clamantes ad ipsum exaudit.

Causæ à Davide allatæ cur de exauditione haut dubitet, sunt tres 1. à persona supplicis, qui invocat & magna voce ad eum clamat Ps 3, 5. Ita namq; argumentatur David: Cum Deus invocantes exaudiat Ps. 50, 15. Esa. 58, 9. Luc. 18, 7. 8. me cum clamo ad eum (hebraicè in clamare me, בְּקָרְאִי de quo loquendi genere Ps. 3, 1.) etjam exaudiet, qui eum hujus promissionis commonefacio Ps. 27, 8. 9. nam turris robusta est nomen Jehovæ, quò accurrens justus (precibus) in edito collocatur Prov. 18, 10.

אֱלֹהִים id est judices.

II. A Persona Dei, qui est judex & vindex justitiæ meæ (ita enim hebræi vocem אֱלֹהִים de vero Deo usurpatam interpretãtur, eo quod hoc respectu magistratui in terris Dei vices gerenti & populos judicanti competat Exod. 7. 1. & 22, 9. Act. 23, 5. Ps. 82, 6. Joh. 10, 34. & proinde idem in Deo officium notet. Quo etjam facit, quod hoc loco psaltes adjicit justitiæ meæ (justæ meæ causæ) quâ confido. Non enim convenit ob subjectam materiam hoc de justitia hominis imputata explicare, quod de justitia causæ seu facti dictum est. Cum itaq; Deus sit justus vindex, inquit vates regius, & ego justam causam nunc foveam, omninò futurum est, ut asseratur ab eo mea justitia & adversariorum puniatur injuria.

Dilatare quid hoc loco notet est loeutio vel me taleptica vel elliptica. (1.)

III. ab utraq; persona, antegressis scilicet Dei operibus & beneficijs supplici præstitis: quia in angustia, cum undiq; me hostes cinxissent & arctè obsedissent, quam vocis (צַר) emphasin sup. Ps. 3, 2. declaravimus: dilatasti mihi; quæ locutio est aut metaleptica, ut dilatare sit idem, quod educere in latitudinem, atq; ita ל accusativum notat, ut 2. Sam. 3, 30. Jer 40, 2. aut elliptica, ut ita vel nomen cognatum מֶרְחָב ex usu hebrææ linguæ subintelligatur, ut in alijs locis Gen. 26, 22. &

Prov. 18,

Prov. 18, 16. & verbus sæpè Gen. 4, 6. Num. 11, 14. 1. Sam. 20, 16. 2. Sam. 24, 1. Job. 4, 18. de qua re videatur Buxt. th. p. 441. *vel aliud nomen conveniens addatur, quod aliàs in constructione plena solet apponi, ut* לֵב, *ut sit sensus, angustum & tenuem meum Spiritum ampliasti & donorum tuorum capacem feciſti, unde fiducia mihi oriebatur ac lætitia, cum antea propter eorum tenuitatem mœrore conficiebar sic Pſ. 119, 32. 1. Reg. 4. 28. Eſ. 60, 5. 2. Cor. 6, 11 ac licet in malo,* רְחַב לֵב *vel* נֶפֶשׁ *dicitur, cui amplus eſt Spiritus & magna confidentia Pſ. 101 5. Prov. 21, 4. & 28, 25. Cui expoſitioni favet, quod à natura ita comparatum ſit, ut in triſtitia cor ſe contrahat, in lætitia vero dilatet & extendat, quo reſpexit Lutherus, quum vertit:* Der du mich tröſteſt *Vel vocem greſſus ſeu pedes adjiciamus, ut expreſsè adjicitur Pſ. 18, 20. & 37. Pſ. 31, 9. & 118, 5. ſimilitudine ſumpta ab ijs, qui aliquandiu vel in carcere concluſi, & pedibus vincti, tandem aliquando liberi dimittuntur: Vel obſidione preſſi, eaq; jam ſoluta, deinceps liberè exſpaciantur, ut nomen adjunctum innuit. Ita igitur colligit David: qui antea meas aſperas & triſtes res in lætiores commutavit, ac me ab hoſtibus concluſum liberavit 1. Sam. 23, 26 idem hoc tempore etjam me oppreſſum eripiet.*

(2.) Dilatare cor, Amplus cor de.

(3.)

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 1 ſeu inſcriptione] *1. de Muſices, potiſſimum inſtrumentalis, pio uſu, quæ ſcilicet triſtitiam diſſolvit Prov. 25, 20. Dan. 6, 19. & affectus pios excitat, ut exempla oſtendunt 1. Sam. 16, 22. 2. Reg. 3, 15. qua de cauſa inſtituta eſt à Davide 2 Sam 6, 5 1. Chron. 16, 4. 5. & toties à Spiritu Sancto in Pſalmis præcipitur. II. De Magiſtra-*

Uſus Muſices in templis.

Magiſtratus ſubditis præluceat.

tus officio, ut subditis pietatis exemplo præluceat 2. Chron. 19, 7. Jon. 3. 6.

Ex v. 2.] I. *De fiducia in precibus adhibenda Mar. 11, 24. Rom. 10, 14. Jac. 1, 6. Sir. 7, 9.* II. *De beneficiorum Dei celebratione Ps. 103. 2. & 50, 15. 1. Thes. 5, 16.* III. *de gratia Dei æternùm durante Psal. 136. Thr. 3, 22. 23.* IV. *De promptitudine Dei in exauditione piorum Esa. 65, 23. Ps. 145. 18, 19. 1. Joh. 3, 22.*

Calumnijs oppressi quid faciant 1.

Discimus, *quid faciendum sit nobis cum immeritò calumnijs opprimimur.* I. *Ad Deum clamemus, ut is eripiat nos à labio falso & lingua dolosa Ps 120, 2. quæ similis est novaculæ acutæ, & diligit potius mẽdaciũ loqui quàm justitiam Ps. 52, 4. 5.*

2. II. *Eundem testem in conscientia invocemus Rom. 9, 1. qui est explorator animorum & renum Ps. 7, 10. ut is nos judicet secundum justitiam nostram, & secundum integritatem nostram pronunciet pro nobis ib. v. 9. quum is sit justus & rectus*

3. *judicijs suis Ps. 119, 137.* III. *Exemplis aliorum, aliquamdiu calumnijs oppressorum & tandem liberatorum nos erigamus Josephi Gen. 39. 41. Davidis 1. Sam. 24, 10. Christi Matth. 26, 60. 61. Pauli Act. 24, 5. 6.*

Jehova faciet pro nobis.

Consolationem *hanc illud suppeditat, quod si devolverimus super Jehovam viam nostram & confidamus in ipsum, esse confecturum & prolaturum tanquam lucem, justitiam nostram, & jus nostrum tanquam meridiem Ps. 37, 5. 6.*

Si in patientia ipsi nos committamus.

Admonemur *etiam ne reddamus convicium pro convicio 1. Pet. 3, 9. sed observemus vias nostras, ne peccemus lingua nostra, servemus circa os nostrum capistrum, tantisper dum improbus erit coram nobis Ps. 39, 2. Et exemplo Christi committamus ei causam nostram, qui judicat justè 1. Pet. 2, 23. & reddet nobis bonum loco maledictionis 2. Sam. 16, 12. producet nos in lucem ut fruamur justitia ejus Mich. 7, 8.*

Refutan-

Refutantur hinc ij, qui Deum nescire res humanas existimant Esa. 29. 15. Ps. 73, 11.

PARS POSTERIOR.

Vers. 3.] CUm Hortationem vel increpationem propositurus esset vates regius, exordiolum præmittit dum honesto titulo eos, ad quos dirigitur, ornat, ut eorum benevolentiam sibi conciliet, & ipsi intelligant, non ex hostili & malevolo, sed amico & benevolo hæc proficisci animo Plutarch. lib. de discrim. amic. & assent. *Et quemadmodum Paulus Judæos etjam sibi infensos, fratres & Patres Act. 22. v. 1. 2. nominat: Ita David hoc loco eos vocat* בְּנֵי־אִישׁ *Filios viri præstantis,* ἀνδρὸς ἐσθλοῦ. *Hoc enim modo accipi vocem* אִישׁ *supra Ps. 1, 1. probatum est. Eos igitur alloquitur, qui freti autoritate regis & suigeneris nobilitatem jactantes, insolescebant, & sibi quoq; viri videbantur. Lutherus vertit,* Lieben Herrn / *& addit,* das ist jhr grosse Hanse / vnd was etwas gelten wil. Exordiolum cur addatur. בְּנֵי אִישׁ.

Hortationis membrum prius, quo monet Propheta, ut recedant à malo, quatuor continet I. Exhortationis argumentum duplex v. 3 II. Causam duplicem v. 4. III. Modum, quo possit eò perveniri quò illa vocat v. 5. IV. Adjunctum vel consequens v. 6.

Quod primum spectat, nimirum adhortationem duplicem, Interrogatio Rhetorica. *ornata est illa interrogatione Rhetorica (de cujus vi vide supra Ps. 2 1 ac de ellipsi Ps 3, 2.) quæ hoc loco assiduitatem innuit & pertinaciam. Deinde duo peccatorum genera illis exprobrat: prius, quod in Davidem committunt, onerando eum calumnijs:* Quousq; gloria mea, *inquit,* in ignominiam *futura est? De qua ellipsi verbi substantivi* Buxt. in thes. *p. 395. Annon satis diu illam gloriam, quæ singulari Dei gratia mihi*

tia mihi obtigit, qua non tantum ſolus immanem Goliathum 1. Sam. 17 verum etjam alios hoſtes plures devici 2. Sam. 5. & 8. & ſi quid præterea decoris & gloriæ una cum regno & in eo Deus mihi contulit, qui eſt mea gloria Pſ. 3, 4. vos ignominiosè traduxiſtis: Quousq; meam ſpem, quam in glorioſa ejus liberatione repoſitam habeo, ludificatis?

Poſterius, quod in ſeipſos admittunt, tum factis, tum dictis. Factis quidem, dum quicquid agunt & moliuntur, eſt mera vanitas, *ut ſonat hebræum nomen* רִיק *ſupra Pſ. 2, 1. quam licet naturaipſa refugiat: hi tamen ex malitia & cæcitate obſcurati ſui intellectus & depravatione ſuæ voluntatis,* diligunt. *In tantum enim bonum appetunt, in quantum ijs apparet: Ac quia ſunt de hoc mundo & carnales, quæ ſunt mundi, tantùm cogitant & ſapiunt, qualia ſunt bona fortunæ & corporis, quæ certe abſq; Dei cognitione ſunt vaniſſima Eccl. 1, v. 14. & ab ipſis Philoſophis* ἀγαθὰ οὐδέτερα *nuncupantur. Dictis vero, cum quicquid loquuntur & excogitant, quidquid intelligere & ſcire* expetunt, *(ut hoc loco verbum* בָּקַשׁ *accipiendum videtur) eſt* mendacium: *Atq; ita illo innuit, quod non, quod juſtum eſt, expetant: hoc autem notat, quod injuſtè ſibi propoſita mendacibus modis, falſis ac ſubdolis conſilijs perficere ſtudeant, atq; ita ſimul in fine & modo actionum ſuarum peccent. A quo malo ut deſiſtant iſti magnates, poſtquam fructum ejus vident nullum, & damnum metuere neceſſe habent magnum, notam attentionis* סֶלָה, *de qua Pſ. 3, 3. apposuit.*

רִיק.

בָּקַשׁ.

Verſ. 4.] Atq; ut porro ignorantiæ depulſis tenebris ſcientiæ habitum ſalutarem ex verbo Dei & communi experientia ſibi comparent, eiq; aſſentiantur jubet, Scitote autem & agnoſcite, וְדָעוּ *cum eo utitur verbo, quo non tàm cognitio quàm affectus & effectus inde proveniens notatur (hanc enim eſſe verbi* יָדַע *emphaſin ſupra Pſ. 1, 6. probatum eſt) Cui conjunctio inſe-*

יָדַע.

Actio inseparabilis, hoc loco adversativa, ut supra Ps. 2, 6. præponitur, ut Dei & illas hominum vias esse diversas indicet Esa. 55, 8. 9. Causa, cur ab isto malo proposito desistere debeant, duplex assignatur, prior, quia Jehova me sibi separavit, quem perculiari sua cura contra vos protegat: posterior, quia idem meam orationem exaudit & liberat ex angustijs: utraq; conjunctione causali כִּי indicatur. In illa administratione Dei observandum, quis, quid, cui & cur præstet. Qui præstat est Jehova, de qua voce Ps. 3, 1. Quid præstet, verbo הִפְלָה separavit, indicatur, & hoc loco significat peculiarem curam gessit, protexit ac vindicavit, atq; ita ut facilè appareat, quod sit inter pium & reliquam impiorum turbam discrimen: ut olim suos Israelitas ab Ægyptijs eximiè discrevit Exod. 9, 4. & 8, 22, & 11, 7. non vulgari modo, verum miraculoso tractavit, ut verbum cognatum הִפְלִיא, quicum sæpè confunditur, indicat. confer Ps. 17, 7. & 31, 22. Cui hac peculiaris Dei gratia obtingat, describitur voce חָסִיד, quæ hoc loco passivè accepta eum notat, quem Deus prosequitur benignitate & qui ab eo misericordiam est consecutus, quem græcè κεχαριτωμένον dicimus Luc. 1, 28. Aliàs verò sæpè activè accipitur, & notat eum, tum qui de jure suo stricto aliquid remittit, ac græcis ἐπιεικὴς vocatur Aristoteles 5. Eth. c. 10. tum de suis bonis largiter alijs communicat, atq; ita coram hominibus sanctè vivit, æquitate & beneficentia Ps. 12, 2. Mich. 7, 2. Prov. 11. 17. Jer. 3, 12. coram Deo vero fide & justitia Ps. 18, 6. Significat ergo pro natura loci vel benignè acceptum à Deo, vel benignum erga alios. Quæ duo quum græci interpretes vellent in græca lingua itidem unica voce reddere, verterunt ὅσιος Ps. 16, 10. Act. 13, 35. ut metaleptice significarent hominem gratiosè sanctificatum fide, & benignitate præditum, benigneq; agentem, qui in sanctificatione

id est, sed

הִפְלָה.

חָסִיד est

Vel κεχαριτωμένος.

Vel ἐπιεικὴς.

ὅσιος.

חָסַר incederet, ut etjam vox cognata חָסַר dupliciter eodem modo accipitur: Activè pro beneficentia nostra Prov. 20, 6. 28. passivè pro beneficio in nos à Deo collato Esa. 55, 3. Act. 13, 34. חֶסֶר tamen quandoq; in malam partem accipitur Levit. 20, 17.
Psal. 86, 2. Prov. 14, 34. sicut & verbum חֶסֶר Prov. 25, 10. & illud, probrum; hoc autem, probro affecit, denotat, חֶסְיוֹ in scriptura nusquam. Unde liquet, quis sit sensus Ps. 86, 2. confer saltem v. 4 & 13. nempe, serva me, quia ego sum tuus servus & cliens, quem benignitate prosequeris. Cur vero ita peculiariter curat, ac miraculosè hunc sanctum tractat Deus? Respondet David, ad suam solius gloriam & sibi separat Ps. 50, 15 & 115, 1. Quia igitur nullo modo fieri potest, ut, quem Deus peculiariter curat, ab hostibus opprimatur subdolè, satius est, ut magnates Davidi infensi pro factis suis vanis, constantem Dei administrationem observent, pro suis mendacijs veritatem Dei promissorum inquirunt & amplectantur. Hoc enim modo argumentari Prophetam, facile patet ex argumento hujus loci, ejusq; consequentibus, quem de Christo exponit Bellarminus, & alij nonnulli, explicatione nimis longe petita, quasi sit sensus: Scitote vos, qui temporalibus inhæretis, quod Dominus miserit sanctum suum de cœlo, eumq; mirabilem reddiderit, cum terrena despexit, sempiterna vero prædicavit & sectatus est, vobis exemplar imitandum proponens, quod verè quidem & pie, huic tamen loco minus convenienter dicitur. Atq; ut hæc causa facta Dei supplici præstita allegat, ita posterior eventa potissimum proponit, quod videlicet hunc exaudiat Deus invocantem, voluntatemq; se timentis faciat: de qua re supra v. 2. Ideoq; hostes ipsius cùm contra ipsum nihil possint, tum felicem suorum consiliorum eventum sperare haut queant, quam diu in cœpto persistunt impio.

Vers. 5.

Vers. 5. Ab hoc vero quomodo desistere possint, consilium & modum v 5 suppeditat, videlicet piam resipiscentiam, cujus quia duæ sunt partes: Contritio, quæ pœnas promeritas expavescit, ac de admissis peccatis dolet: Et fides, quæ ad Christi meritum confugit, illam pluribus inculcat, hanc in fine v. 6. synecdochicè indicat.

רָגַז.

Contritionis primo serium dolorem verbo רָגַז *innuit, quod propriè* commovemini *cum tremore significat: Et quia hoc, cum in alijs vehementibus affectibus, tum præcipuè ira & metu cernere licet, præcipitut sibi ipsis ob vitam tàm perditè actam irascantur & pœnas secuturas metuant Ezech. 6, 9. & 20, 43. c 36, 31. Matt. 3, 7. Unde Chaldæus paraphrastes vertit, domate concupiscentiam vestram & irascimini, scilicet vobisipsis, in quem sensum hoc dictum ab Apostolo Eph. 4, 26. citatum esse nonnulli existimant: Vide Chemn p. 2. L. C. c. 7. reg. 13.*

Secundò, Agnitionem peccatorum & pœnarum, quas illis sunt promeriti, dupliciter imperat (1.) κατ' ἄρσιν ne peccetis *ne amplius delectemini illa vanitate, non regnet deinceps peccatum in mortali vestro corpore Rom. 6, 12. sed fœditate ejus perspectâ, fugite. De voce ipsa* חָשַׁב *ejusq; significatione propria vide supra Ps. 1, 1. (2.)* κατὰ θέσιν, *potius vero speculum legis divinæ intuentes Jac. 1, 23.* dicite in corde vestro *hoc est, cogitate, diligenterq; apud animum perpendite, quàm ingrati in Deum creatorem, quàm crudeles in vestrum fratrem proximum, & deniq; quam injurij erga vos ipsos hactenus fueritis. Ita namq; verbum* אָמַר *sæpè de interna mentis cogitatione usurpatur in scriptura Exod. 2, 14. Jud. 15, 2. 1. Sam. 18, 12. & in N. T. Matt. 3, 9. & 9. 3. 4. & 16, 7.* λέγειν ἐν ἑαυτοῖς *dicuntur. De quo loquendi genere copiosè & eleganter ita disserit* Augustin. lib. 15, de Trin. c. 10. *Si qua dicere volumus, nisi cogitata, non possumus. nam etsi verbum*

חָשַׁב. Dicere in corde.

אָמַר cogitavit.

non sonat, in corde suo dicit utiq; qui cogitat. Unde illud Sap. 2, 1. dixerunt apud seipsos, cogitantes improbè. exposuit enim quid sit, dixerunt apud se, cum addidit, cogitantes. Et quid est aliud in Evangelio Mat. 9. dixerunt intra se, nisi cogitando, unde sequitur, cum Dominus vidisset cogitationes eorum, dixit, quid cogitatis mala. Vide ibidem plura.

Nox meditationi accommoda.

Hoc amplificat circumstantia loci & temporis: In cubili vestro, *quando estis soli de nocte, neq; alijs rebus, quibus per diem occupati estis, ab hac consideratione avocamini. Hunc enim locum & tempus meditationi seriæ esse maximè accommodata, ex alijs scripturæ locis patet Matt. 6, 6. Ps 36, 5. Job. 33, 15. Esa. 24, 9. & supra Ps. 1, 2.*

דָּמַם

A, e, substitit.

Appponitur tertium ex agnitione peccati profluens, ejus detestatio, & concioni legis præstita obedientia, ne de peccatis moniti obmurmurent, sed sileant, *voluntati Dei acquiescant, & in peccatorum cursu subsistant, quæ tria sunt verbi* דָּמַם *significata: Ex quibus ultimum huic loco maximè convenit, videlicet ut quiescant malefacere. Sic accipitur hoc verbum Jos. 10, 12. 13, 1. Sam. 14, 9. Unde Lutherus rectè vertit* Harret *confer Ps 37, 7. Thr. 3, 26. & Job. 29, 21. Ps 62, 6. Esa. 23, 2. Huic vocem attentionis* sela *subjicit commodissimè, cujus vis propria est, ut, dum sistit & silet cantus, quod præcessit, attentè consideretur.*

Fides est fiducia.

Vers. 6.] Fides altera veræ pœnitentiæ pars more scripturæ familiari synecdochicè describitur ex ultimo & præcipuo requisito, fiducia videlicet in Jehovam *q. d. non oportet vos tantum morbum vestrum agnoscere, sed etjam de remedio prospicere, quod huic morbo unicum est, nempe fides vera in Deum, quæ imputatur in justitiam Rom. 4, 5. ut pacem habeatis cum Deo, Rom. 5, 1. quo confisi & nixi, securè*

בָּטַח

sitis à casu aut ruina, quod vox בָּטַח *denotat, eò quod cum*

de

סֶמַךְ *de quo Pſ. 3, 6. commutatur 2. Reg. 18, 21. & nomen cognatum* בֶּטַח *ſecuritatem ſignificat. Vide & hîc, ſi placet,* Chemnitium, p. 2. L. c. 3. de vocabulo fidei.

Fructus vel effectus ſive neceſſarium conſequens veræ pœnitentiæ ſunt bona opera, quæ locutione figurata à typo V. T. deſumptâ, hoc loco exiguntur. Ut enim, ſi quis in V. T. peccaverat, ſacrificium Deo offerre cogebatur (ut Lev. 4. 5. & ſeqq. cap. fuſius explicatur & hoc loco verbo זָבַח *deſignatur, quod in genere mactare Gen. 31, 54. 1. Sam. 28, 24. 1. Reg. 19, 21. hîc vero* κατ' ἐξοχὴν *mactare ad ſacrificium ac ſacrificare notat: quemadmodum etjam græcum verbum* θύω *accipitur in N. T: In priori ſignificatione Matt. 22, 4. Joh. 10, 10, Luc. 15, 23. Act. 10, 13. In poſteriori Act. 14, 13. 18. 1. Cor. 10, 20.) quo recipiebatur in gratiam: Ita Deo ſemper ſacrificium fuit gratiſſimum Spiritus fractus Pſ. 51, 19. & obedientia gratior ſacrificio 1. Sam. 15, 22, quæ requirit ut ſiſtamus corpora noſtra Deo victimam, vivam ſanctam & acceptam Rom. 12. v. 1. cum ſimus à Chriſto omnes effecti ſacerdotes, 1. Pet. 2, 9. Apoc. 1, 6. Atq; hoc modo explicandum eſt membrum hoc, quando ad nos referimus, quo hic David ſuos hoſtes hortatur, ut ſacrificia Deo offerant, quibus ei cultum præſtent acceptum. Offerant ergo non unum, ſed multa, non levitica, ſed* juſtitiæ, *talia videlicet, quæ à juſtificatis fide proficiſcuntur, cum impiorum* ſacrificia *abominetur Dominus Eſa. 1, 11. Pſ. 50, 8. 9. qui delectatur tantum ſacrificijs juſtitiæ Pſ. 51, 21. De quibus.* Chemnitium p. 2. Ex. Conc. Trid. Loc. 6. de vocabulo ſacrificij *vide.*

זָבַח.

θύω, εἰω,

Verſ. 7.] Hortationis membro priore abſoluto, ut recedant à malo per pœnitentiam ſalutarem, fructuq; dignos ijs afferant, qui reſipuerunt. I. per antitheſin petitionis vagæ filiorum hujus mundi. II. per theſin petitionis certæ hominis pij, in perſona Da-

sona Davidis expositæ v. 7. 111. per ἐξήγησιν fructuum seu effectorùm veri boni, quæ sunt duo: lætitia spiritualis animæ v. 8. & pax sive securitas omnimoda v. 9. Illa amplificatur per comparationem lætitiæ impiorum: Hæc autem à consequẽte fructu & causa efficiente. Cum enim in superioribus monuisset David ut relictis suis impijs desiderijs respiscant, qui vanitatem sectantur, Deo confidant, eumq; bonis operibus colant, & ipsi jam possent objicere, se libenter ituros in hanc sententiam, nisi videant, eos plerumq; à bonis terrenis destitui, qui illo modo vitam instituunt Mal. 3, 14. 15 Ideoq; cum ipsi instinctu naturæ bonum appetant, fieri ut à pietatis studio avocentur cum huic crucem adjunctam sciant. Matt. 11, 29

Huic objectioni per occupationem occurrit Propheta I. per concessionem, dum per mimesin votum impiorum exponit II. per correctionem, dum in sua persona votum piorum summum proponit, q. d. verum est, ita in mundo fieri, ut dicitis ex carnis judicio, malis benè, & bonis male esse Jer. 12, 2. Ps. 73, 3. seqq. Unde qui tantum spectant hæc externa bona, quæ apparent & temporanea sunt 2. Cor. 4, 18. qui sanè sunt multi Matt. 7, 13. Luc. 13, 24. multi quorum Deus est venter Phil. 3. 18. 19. qui dicunt ore & cogitant corde (vide supra v. 5.) quis faciet ut fruamur bono hujus mundi, si illam pietatis insistamus viam? Quæ interrogatio sæpe difficultatem summam designat Ps. 15, 1. Prov. 31, 10. Job. 38, 16. 17. Rom. 11, 34. Confer Matt. 19, 25. 26. & Mar. 10. 23. Et verbum רָאָה, quod aliàs videre significat, cum ei bonum adjungitur, utifrui, designat, ut patet Ps. 34, 13. & 91, 16. & 27, 13. Sir. 15, 7. Eccl. 2, 1. & 3, 13. in genere metaphoricè acceptum significat experiri, percipere, ut videre corruptionem Ps. 49, 10. videre mortem Joh. 8, 51. טוֹב vero omnis generis bonum significat, tàm verum, quàm apparens; Item honestum, utile, jucundum, prout

Interrogatio notat difficultatem.

רָאָה.

טוֹב.

dum, prout natura loci requirit Psſ. 73, 1. Gen. 3, 6, Mich. 3, 2. Prov. 21, 9. 19 & 25, 13. Et hoc loco ex usu hebraæ linguæ masculin. pro neutro, quò ea caret, ponitur per ellipsin, de qua Buxt. in thes. p. 315. Hoc igitur tantum in votis habent impij & improbi, ut hujus mundi bonis fruantur, quæ quando pijs deficere cernunt, difficulter in pietatis viam arctam se revocari patiuntur: sed cum Lothi conjuge ad Sodomam (terrena relicta) respiciunt Luc. 17, 31, 32. quiritantes, quis jam faciet ut fruamur bono, cum Deum colere incipimus Ose. 2, 5. Per correctionem respondet David: Facilis est via consequendi verum bonum, tantum modo mecum Deum in fide invocate: Jehova autor omnis boni, attolle super nos lumen vultus tui & miseros nos respice benignus. Ipsa autem hac precandi formula respicit ad solemnem illam benedictionem Aaroni ejusq; filijs & successoribus à Deo ipso præscriptam Num. 6, 24. seqq. Quem enim Deus vultu benigno respicit, ei deesse nihil quidquam potest Psſ. 73. v. 15. & 36, 8. seqq. Per lumen non tantum clementem Dei benignitatem, quæ facit, ut prosperè vivamus, sed etjam voluntatem in verbo & præcipuè Evangelio revelatam intelligit, qua eum agnoscimus, salvamur, & beatitudinem summam consequimur Joh. 17, 3. Sap. 15, 3. Unde Evangelij concio sæpe lux in scriptura vocatur Esa. 9, 1. Matt. 5, 15. 2. Cor. 4, 4. 1. Joh. 2, 2. Lumen vultus Dei.

Vers. 8.) Alij igitur alias res optent, alij hujus mundi bona fallacia sectentur: Hoc vero est summum bonum, votis omnibus expetendum, Dei notitia, dilectio & favor, quod in sequentibus ex effectis probatur, cum summè exhilaret & tranquillet animum: Illud suo exemplo David confirmat, quod ipse ob hoc bonum fuerit & sit animo bono v. 8. futurusq; sit in futurum v. 9. qui suis hostibus ob varias calamitates miserimus videri poterat. Si, inquit, Domine extuleris saltem super me-

per me-

per me lucem vultus tui, quamvis ab alijs rebus mundanis non sim instructus, tamen largiter donasti lætitiam in corde meo, *ut exsultet non tam corpus, quàm Spiritus meus in te Deo salvatore suo Luc.* 1, 47. *His siquidem duobus suum spirituale à mundi gaudio distinguit (1.) Objecto, quod illi bonum externum & apparens; ipse vero autorem ejus & bonum verum, Deum videlicet respiciat. (2.) subjecto, quod illi gaudeant quidem, externaq; lætitiæ signa edant, intus tamen semper excruciati morsu conscientiæ, nocte dieq; suum gestent in pectore testem. nam res timida est improbitas teste proprio condemnata, & semper res graves præsumit, dum constringitur conscientia Sap.* 17, 11. *Ipse vero cum Deum habeat propitium, ex animo lætetur.*

Discrimen inter gaudium piorum & impiorum.

Prius illud aliquanto plenius explicat & circumstantia temporis illustrat, quando ait, quod ipsius lætitia sit major (*Ita enim hebræi comparativum quô carent etjam per præpositionem inseparabilem* ב *circumloquuntur.* Buxtorf. in thes. p. 520. Gualper. p. 102. fac. 2.) quam temporis opportuni, *quod voce* מועד *indicatur, supra Ps.* 1, 3. (*quam hoc loco cum LXX. & vulgata versione haud negligendam putamus,*) *quo maturuerunt fruges & messis tempus lætissimum instat Esa.* 9, 3. *Psal.* 65, 13. 14. *Es* 16, 8. *Jerem.* 8, 20. quo frumentum eorum & vinum eorum, *qui tantum hujus ævi bonis intenti sunt,* multiplicata sunt, *abundeq; provenerunt Luc.* 12, 16. *Quo tempore, quis est, qui nesciat, quàm exsultent lætitia, cum suum bonum in voluptate cibi & potus habeant repositum. Solidum itaq; gaudium esse oportet, quod hanc eorum superet lætitiam, id quod hæc innuit comparatio, in qua notanda est ellipsis pronominis relativi in textu hebræo, aliàs in scriptura valdè frequens, de qua præter alios vide* Buxtorf. th. p. 374.

Tempus messis lætissimum.

Vers. 9.]

Vers. 9.] Alter effectus istius summi boni, videlicet favoris Dei, est pax & tranquillitas animi, quam imposterum sibi psaltes semper promittit, ut ita tertia hic præter objecti & subjecti oppositionem superius expositam habeatur antithesis, videlicet temporis: Illi enim exiguo temporis spacio, quoad videlicet messis durat & vindemia, lætantur: Ego *vero, inquit,* cubabo & dormiam, *secureq; lætabor: quod ista phrasis supra Ps. 3, 6. declarata innuit,* in pace, *prosperitate omnium & rerum necessarium copia, divinitus mihi donata, quæ voce hebræa* שָׁלוֹם *notatur Gen 29, 6. & 43, 27. 2 Sam. 11, 7. 2. Reg 4, 26. Unde orta est illa hebræorum & Chaldæorum salutationis & valedictionis formula: Pax tibi 1. Chron 12, 8. Psal. 125, 5. 1. Sam. 25, 6. Dan. 3, 31. Jud. 6, 23. in N. T. frequenter usurpata Luc. 10, 5. & 24, 36. Johan. 20, 19 21. Rom. 1, 7. 1 Cor. 1, 3 nisi malimus dicere propter consequentia hic κατ' ἐξοχὴν unum præcipuum bonum denotari, videlicet tranquillitatem conscientiæ, de qua totus hic versus agit, quam ut summam esse indicet, particulam* יַחְדָּו *adjicit, q. d. non tantum cubabo, sed simul dormiam. Hoc enim simplicius est, quàm ut cum aliis dicamus, quod, ut hanc sibi cum omnibus pijs communem esse ostenderet, vocem* יַחְדָּו *i. e. unà, pariter, à* יָחַד *univit, deductam sup. Ps. 2, 2. adjecerit, cum, ut est una & eadem justificationis ratio Act. 15, 10. ita etjam unus & idem sit effectus. Rom. 5, 1. Vel quod alij volunt, q. hæc determinatio ad Absolonem, aliosq; Davidis hostes referenda sit, de quibus dicat, tum scilicet, quando illi mecum & cum Deo in gratiam redierunt, unà nobis bene erit in summa securitate. Vel quod quidam in contrarium hæc ita interpretantur: tanta mihi est fiducia, cum tu sis protector meus, ut unà cum hostibus, licet undiq; cingant me, tutò & intrepide habitare possim, imò etjam tranquillè dormire sup. Ps. 3, 6. 7.*

שָׁלוֹם

Pax tibi.

יַחְדָּו quid hoc loco denotet.

1.

2.

3.

4.

5.

Esa. 11, 6. Atq; hi literaliter explicant: nonnulli allegoricè de morte, quæ sæpe somni nomine in scriptura venit, & mortui dormire ac quiescere dicuntur, Es. 57, 2. Joh. 11, 11. Sir. 18, 10. & 38, 24. Apoc. 14, 13.

Hunc effectum amplificat à causa efficiente ejus, quia Tu Jehova solus facis, ut securè habitem: *Tu solus non modo sine adjumento externo vel humano, sed etjam contra omnia impedimenta mihi objecta ab hostibus meis, quibus me persequuntur & exagitant, Tu facis ut metus & curarum expers, bonæ vero spei & fiduciæ plenus (quod notat vox* לָבֶטַח, *cujus radix supra v. 6. explicata est) sim & maneam, imò q. sedem figam & habitem, quæ est propria verbi* יָשַׁב *significatio, de qua supra Ps. 1, 1. & 2, 4.*

לָבֶטַח.

יָשַׁב.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 3.] *I. de errantibus comiter in viam revocandis Gal. 6, 1. 2. Lev. 19, 17. Jac. 5, 19, 20. II. De taxandis magnatum vitijs Ps. 2, 10 2 Timoth. 4, 2. Sam. 12. 17. III. De pertinacia improborum Ps 36. v. 2 5. Ps. 1, 1. IV. De calumnia vitanda Lev. 19. v. 16. Ps. 50, 19. 20. 2 Sam. 16, 3. Rom. 1, 30. 32. Jac. 4, 11. 1. Pet. 2. 1. V. De vanitate omnium quæ sunt in mundo, & quæ amant filij hujus seculi Eccl. 1, 2. & 12, 8. 1. Joh. 2, 17. Ebr. 13, 24. VI. De improborum studijs in malo, quibus vincunt filios lucis in bono Ps. 39, 7. Luc. 16, 8.*

Ex v. 4.] I. De lectione verbi divini omnibus mandata Joh. 5, 39. & inprimis magnatibus Josu. 1, 8. Ps. 1, 2 & 119, 24. Prov. 16, 10. 11. II. De speciali Dei providentia, qua tegit pios. supra Ps. 3, 6. Deut. 32, 10. seqq. Ps. 56, 9. & 37, 24. & 139, 2. 1. Tim. 4, 10.

Ex v. 5.] I. de dolore secundum Deum super admissa peccata

cata Prov. 28, 13. 14. Joel. 2, 13. Esa. 57. 15 2. Cor. 7, 10. II. De inquisitione in vitam antè actam Thren. 3, 40. Ps. 106, 6.

Ex v. 6.] I. De studio bonorum operum Rom. 12, 1. Tit. 2, 14. II. de fiducia in Deum collocanda Ps. 37, 5. & 55, 23. Prov. 16, 3. Eph. 3, 12.

Ex v. 7.] I. De multitudine impiorum Matt. c. 7, 13. & 24, 5. 11. 12. Luc. 13, 24. II. De studio eorundem in bonis terrenis corradendis Matt. 6, 32. Luc. 12. 18. seqq Phil. 3, 19. III. de notitia Dei summo hominis bono Ps. 73, 25. Jer. 9, 24. Eph. 3. 19.

Ex v. 8.] De efficacia scripturæ in consolandis afflictis Ps. 19, 9, & 119, 92 & 23, 4. II. De felicitate impiorum in hoc mundo Job. 21, 7. Ps. 17. 14. & 144, 12. seqq. Luc. 16, 19.

Ex v. 9.] De tranquillitate conscientiæ bonæ Prov. 15, 15. Rom. 5, 1. 2. Cor. 1, 12. 1. Joh. 3, 21.

Discimus, quis esse debeat omnium admonitionum piarum scopus, videlicet ut recedamus à malo, & sectemur bonum Ps. 34, 15. & 37, 27. Rom. 12, 9. Illud fit, si primùm finem respiciamus, & quamdiu diligimus vanitatem mundi, nos depascere ventum, & persequi Eurum Ose 12, 1. transigere annos nostros ut fabulam Ps. 90, 9. vel somnium Ps. 73, 20. qui sunt similes fœno Ps. 103, 15. quod exarescit, cum Spiritus Jehovæ perflat Esa. 40, 7. qui vero diligit Dominum & facit voluntatem ejus, manet in æternum 1. Joh. 3, 17. Recedamus à malo.

1. Respicientes finem.

II. Si mendacium & omnem falsam doctrinam abjiciamus, qua in errorem abducuntur, quotquot veritatem recipere noluerunt 2. Thes. 2, 10. 11. 2. mendacium fugientes.

III. Si contra ex S. scripturâ discamus, quod Deus non delectetur malo seu iniquitate Ps. 5, 5. & quod pios peculiari favore, improbos verò odio summo prosequatur Exod. 20, 5, 6. sicut exempla plurima sanctorum Siracidæ capp. 44, 45. 46. seqq. Ebr. 11. & improborum Ps. 105, 106. testantur. 3. scripturam legentes.

4. inde vitam examinantes.

IV. Si inde nostram vitam anteactam excutiamus Thren. 3. 40. nobisipsis irascamur Ezech. 6, 9. scindamus corda, non vestimenta Joel. 2, 13. calamitatibus & pœnis ad agnitionem peccatorum & iræ Dei deducamur Ose. 2, 6. 7. & c. 6, 1. 2. dijudicemus nos ipsos 1. Cor. 11, 31. confiteamur delicta Ps 32, 5. pœnitentiam agamus & credamus Evangelio Marc. 1, 15. resipiscamus, & convertamus nos ad Deum, opera facientes cõvenientia resipiscentiæ Act 26, 20. Matt. 3, 8. quemadmodum anteà servivimus injustitiæ, sic deinceps serviamus justitiæ Rom. 6, 18. 19. colamus Deum in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ Luc. 1, 74. 75. cogitantes tandem nobis datum iri vitam æternam, cum, si in peccatis perseveremus, mors æterna nobis impendeat Rom. 6, 22. 23. Atq; ita à malo avocemus nos ipsos; ad bonum autem verum, videlicet Dei notitiam & cultum sectandum nos incitemus ipsi I. Comparantes cum eo bonum apparens & fallax, quod mundus & impij sequuntur, velut voluptates hujus vitæ, quibus suffocantur Luc. 8, 14. perduntur Eph. 4, 22. & hæreditate regni Dei excidunt Gal. 5, 21. II. in præmio sempiterno confirmati pergamus in studio bonorum operum Mat. 5, 12. Gal. 6, 10. cum seminantes in lacrymis, messuri simus olim in gaudio Ps. 126, 5. in hac vita pacem habeamus cum Deo Rom. 5, 1. in quo exsultare potest Spiritus noster Luc. 1, 42. certus, fore ut hæc tristitia momentanea convertatur in gaudium perpetuum Joh. 16, 20. 2. Cor. 4, 17. Cum vero ex nobis ipsis nihil possimus 2. Cor. 3. 4. Joh. 15, 5. eum precibus invocemus ardentibus Mat. 7, 7 ut illuminet nos cæcos Eph. 5, 8. 14. operetur q; in nobis velle & perficere Phil. 2, 13.

Sectemur bonum.
1. Non apparens.

2. Præmium attendentes.

3. Deum invocantes.

Quod recte rogatur certò donatur.

Hinc jam ex collatione v. 7. & 8. oritur consolatio, quod quicquid petimus ita à patre in nomine Christi, accepturi simus Joh. 16, 23. cum omnis, qui in fide petit, accipiat, & qui quærit inveniat, eiq; qui pulsat, aperiatur Matt. 7, 8.

PRO-

PROBLEMA.

QVÆRI hoc loco potest: Utrum v. 3. rectè legi possit in textu hebræo עַר־מָה כְּבוֹדִי לִכְלִמָּה ex sensu versionis græcæ, quæ LXX. vulgo attribuitur, & Latinæ vulgatæ, quarum illa habet ἕως πότε βαρυκάρδιοι, ἵνατί, hæc vero legit: Usque quo gravi corde, ut quid? R. negamus, contra Bellarm. qui libro secundo de verbo Dei cap. 13. asserit: Valde verisimile esse, corruptum esse textum hebræum vitio librariorum, qui mutarint ב in כ cum I. ita legant omnes græci & Latini patres præter Hieronymum II. sive hanc sive alteram receptam in libris hebræis lectionem recipiamus, sensum esse eundē, cum Deus eo in loco conqueratur de hominibus, quod neglectis æternis temporalia diligant, unde secundum versionem græcam & Latinam vocantur graves corde, quia tales sunt suo vitio. Secundum textum vero hebræum voces eos Deus gloriam suam, quia tales sunt beneficio divino, si in eis imaginem cœlestem consideremus, ut ita כְּבוֹדִי sit Paul Kal constructum, vel nomen verbale.

Q. de lectione vulgatæ versionis.

Quæ asseritur à Bellarmino.

I.

2.

Argumenta hæc quod spectat, respondemus ad prius: I. in genere, Biblia hebræa non esse corrupta, quod ipse Bellarminus *5. argumentis firmissimis probat* lib. 2. De V. D. c. 2. *I. si scripturas Hebræi aliquando corruperunt, vel id fecerunt ante Christi adventum, vel post eum. Si ante, quare Christus & Apostoli eos hoc nomine non reprehendunt, & cur nos ad eas remittunt. Joh. 5, 39. Mat. 23, 2. Sin post, quomodo testimonia à Christo & apostolis in N. T. citata cum textu hebræo conveniunt, ut videmus II.* Augustinus *l. 15. C D. c. 13. non est credibile, Judæos in unum errorem tam dispersos potuisse conspirare, & sibi voluisse auferre veritatem, dum alijs invidebant autoritatem, neq; passuros fuisse LXX. ut id ignoraret rex*

5. Argumentis.

I.

2.

3 raret rex Ptolomæus. III. incredibilis est religio Judæorum erga sacros libros, qui centies potius morerentur, quàm
4. paterentur mutari apicem. IV. si falsare voluissent Judæi, fal-
5. sassent vaticinia de Christo quæ tamen sunt integra. V. Deus non fuisset passurus, ut biblia falsarentur, quæ ipse voluit esse normam & canonem omnis doctrinæ. R. II. in specie, negando, ullo modo esse corruptum I. quia sensus eorum verborum, quæ nos habemus ex eo, optimè quadrant argumento Psalmi & consequentibus, ut liquet ex analysi. II. Non est verisimile omnes librarios eodem modo errasse in sola litera ב III non est textus hebræus hoc tempore alius, quàm fuit tempore Hieronymi, ut ipse Bellar. fatetur (in comment. super hunc locum) qui quia inter patres eximiè fuit doctus hebræas literas, potius apud nos fidem meretur in hoc, quam reliqui patres, qui græcam tantum docti linguam, versionem græcam secuti sunt. Resp.
1. ad posterius, expositionem Bellarmini esse violentam, quod patet primùm, quia hæc verba non sunt Dei, sed Davidis conquerentis de inimicorum calumnijs, quos ad agnitionem consilij & mirificæ protectionis Dei revocat v. 4. se exaudiri petit à Deo, ut Deus elevet superipsum lumen vultus sui v. 7. unde in corde gaudeat v. 8 ac in animo securus sit v. 9. Quæ omnia quia Deo haudquaquam attribui possunt, & non secus in persona hortantis dicuntur, quàm hæc verba, de quibus controvertimus, concludimus hæc etjam verba in Dei persona
2. non dici II. quia Deus graves corde, nunquam suam gloriam
3. vocat propter reliquias imaginis Dei, quod dum asserit Bellarminus petit principium. III. Non est illud, כְּבוֹדִי quod pro כְּבוֹדִי substituit, hebræum vocabulum. cum enim כָּבֵד in Kal sit neutrum, Paul non habet: & nomẽ verbale in hac forma ab hac radice nullum extat unde tantũ oritur כָּבֵד, in statu regiminis plur. כִּבְדֵי quod hic locũ non habet ob Vau non sine causa insertum.

R. ad prius, Biblia hebræa non esse corrupta probatur, neq; hoc loco, ratio 1. 2.

R. ad posterius 1.

insertum. Neq; etjam patitur verbum, inclyti mei, quia affixum hic esset nullum, & tautologia inde oriretur, quia præcedit, ô filij viri. quin etjam ita vox בְּנֵי־ *plane negligeretur.*

Coronidis loco adjicimus quod ipse Bellarminus lib. 2. de V.D. c. 6. quæst. 5. *quatuor rationibus probet versionem græcam LXX. qualis nunc est, valde vitiatam esse in plurimis locis, ut jam tutum non sit hebraicos textus ex græcis codicibus emendare. Subsumimus igitur, etjam Bellarmino id ipsum in præsenti loco non licere. Quod vero idem asserit in comm. hoc loco hanc varietatem lectionis natam esse inde, quod punctis libri hebraici ante Christi adventum caruerint, non nisi cum limitatione verum est. Biblia enim particularia fere omnia, seu, ut clarius dicam, privata cujus q; punctis caruerunt, ob rei difficultatem: punctis vero non caruerunt publica atq; authentica Bibliorum exemplaria, quæ in synagogis erant ob religionis necessitatem de qua quæstione vide Thesaur.* Buxdorfi. lib. 1. c. 5 p. 55. *seqq. Unde patet, non esse verissimam hanc sententiam, ut censet* Bellarminus lib. 2. de verbo Dei c. 2. *habere biblia hebræa suos quosdam errores, qui partim irrepserint negligentia, vel ignorantia librariorum, partim ignorantia Rabinorum, qui addiderunt puncta. Illud denig; longe falsissimum est, quod errores, qui ex additione punctorum accidere potuerunt in biblijs privatis ejus, cujus est versio græca, qua nunc utimur, nihil omnino veritati officiant: & quod puncta textum non mutent. Cum enim sint quasi anima & forma consonantium, significatio pro diversitate punctorum oritur varia, quod patet experientia & Bellarminus comprobat in hoc ipso loco, dum pro diversitate punctorum subjectorum aliter atq; aliter verba exponere necesse habet Si quis itaq; in additione punctorum accidit error, cum dictiones inde minus rectè legantur, quomodo eædem rectè queant intelligi, inqui-*

Versio græca est vitiata.

Falsum est, LXX. nunquam obscurare veritatem.

ligi, inquirendum Bellarmino relinquimus, qui puncta post Christum natum demum addita esse negamus in textu hebræo, ad quem in dubijs V. T. locis, tanquam prototypum à Deo per Prophetas traditum non tantum quatuor, sed omnibus temporibus recurrendum esse statuimus. vide Bell. l. 2. de verbo Dei cap. 11. Et contra eum Johannem Isaacum in responsione ad Lindanum, & J. Buxtorfium in Tiberiade.

ENARRATIO PSALMI QVINTI.

אֶל־הַנְּחִילוֹת variè explicatur.

1.
2. 3.
4.
5.

6 significat, in pneumaticis.

Titulus hujus Psalmi illa tria continet, quæ præcedentis quarti complectitur, & quæ omnia facile ex ijs, quæ dicta sunt ad eum, & Psalmi tertij titulum, intelliguntur præter duas voces אֶל־ הַנְּחִילוֹת variè ab interpretibus redditas. A Chaldæo super tripudijs vel super choros. hic confudit cum מְחוֹלָה & מָחוֹל id est, chorus. ALXX. ὑπὲρ τῆς κληρονομίας. Ab autore vulgatæ versionis, pro ea, quæ hæreditatem consequitur: uterq; legisse videtur אֶל־הַנְּחָלָה. Ab alijs, pro hæreditatibus. Salomon exponit de exercitu q. vel esset à חַיִל utriq; hebraicum: Vel metonymicè pro נְחִיל id est apum sibilus, positum, & hic Psalmus à cantore, cum exercitus magnis copijs Israelem invadebat, instar apum, fuerit prolatus & decantatus. Ab alijs denig; in pneumaticis, scilicet instrumentis musicis, quæ explicatio argumento inscriptionis, derivationi vocis, & constructioni optimè videtur convenire. Cum enim

proeul

procul dubio in plerisq; titulis, in quibus לַמְנַצֵּחַ mediante præpositione cum nomine construitur, intelligatur instrumentum musicum, nihil obstat, quo minus idem hic denotari dicamus. Derivatur à radice נָחַל i. e. possedit, non tamen immediatè, sed quia forma grammatica requirit & cognata nomina innuunt. נַחַל enim torrentem & vallem, per quam ille fluit: נְחִיל vero sibilum apum significat, unde per similitudinem vel murmuris, quod excitatur à torrente ex colle per vallem fluente: vel sibili apum, nomen plurale נְחִילוֹת ijs instrumentis musicis est impositum, quæ edunt sonum obscuriorem, qualis est susurrus aquæ, vel bombus quorundam insectorum, qui quoniam grandioribus organis musicis tubulatis atq; excavatis editur, per synecd. pro organis musicis pneumaticis usurpari consuevit. Cui explicationi favet, tum quod verbum cognatum חָלַל perforari, & inde deductum nomen חָלִיל fistulam seu tibiam perforatam & excavatam denotet: Tum quod præpositio אֶל hoc loco adjiciatur, quæ innuat, traditum esse hunc Psalmum præfecto eorum cantorum, qui canebant super vel in organis pneumaticis, sicut ponitur pro עַל Jer. 4. v. 3. & 49. 20. & 50, 18. & אֶל cum עַל permutatur in titulis Psalmorum Ps. 45, & 80. vel pro בְּ ut Gen. 49, 29. Psal. 62, 2. & 61, 1. Buxt. p. 535. Unde jam patet, quid statuendum sit de sententia Bellarmini, quod hoc loco sit retinenda vulgata versio: & aliorum, qui vertunt pro hæreditatibus, quas interpretantur pios ex Judæis & gentibus collectos, ut hæreditatem vitæ æternæ consequantur. Cum enim ipsa vox hebræa in hac forma non significet hæreditatem, nec hæc expositio argumento Psalmi satis conveniat, nec cum LXX. unde desumptam eam volunt, congruat, in hanc illorum sententiam ire non possumus nec debemus. Objiciunt alij: nostram expositionem niti meris conjecturis R. negando, quia

1. ex vocum cognatarum significatione 2. constanti hebræorum traditione 3. ex argumento tituli deducitur, quum illa altera vulgata peccet contra formam grammaticam, & argumentum Psalmi planè novum constituat. II. obj. *Psalmi non canuntur ad, sed super instrumentis musicis* R. *negando iterum, quia possunt accini ad instrumenta, quando illis canitur, ut hîc modulatio, ibi verba ipsa in vocali musica simul audiantur. quin & עַל significat sæpè super, uti probatum est, & proinde potest hoc inverti.*

Argumentum. Argumentum *Psalmi est: David petit à Deo, ut vocem clamoris sui exaudiat, seq. in justitia vera dirigat, ut non solum in hostium suorum laqueos non incidat: sed illi etjam à consilijs suis dejiciantur, destruantur & depellantur, cum Deus sit, qui improbos aversatur, unde futurum sit, ut ipsi confisi lætentur.* Finis. Usus *est: ut cum pietati dantes operam ab impijs opprimimur, Davidis exemplo & nos in pietatis cursu dirigi ac conservari: hos ab impijs consilijs vel abduci, vel si obstinati sunt, perdi ad Dei gloriam & Ecclesiæ gaudium petamus.*

Ἀνάλυσις. *Psalmus est* ἐυκτικὸς, *ejusq. partes sunt duæ: prior est* Partes 2. 1. petitio generalis. *generalis petitio, continens thesin hanc (rhetoricam) rhetoricè propositam: Deus exaudi meam orationem, quæ illustratur* Μιμονὴ *v. 2. 3. confirmatur cum à persona Dei* κατα φατικῶς (1.) *ejus natura & essentia, quia es Jehova. v. 2. (2.) Officio, quia es rex & Deus supplicis, v. 3.* ἀποφατικῶς *& à contrario; quia non exaudis, nec delectaris impijs: Quæ causa* Μιμονὴ *iterum ornatur: dum varijs synonymis tam nomen quàm verbum declaratur: Illud tam in abstracto v. 5. quam concreto v. 6. 7. cum à persona supplicis in fine v. 3. qui summa diligentia & indefesso studio Deum invocat v. 4. in ejus misericordia confidit, eumq. colit v. 8. Posterior est petitio specialis complectens du-*

2. specialis.

Mens duplicem hanc hypothesin priorem, rogo, ut me porro in pietatis ac justitiæ cursu conserves v. 7. posteriorem, hostes vero meos præfractos & obstinatos perdas v. 11. Utraq; enthymemati includitur: hæc integro, in quo desideratur major. Hujus antecedens causam exponit, quia hi rebellant in te, infra v. 11. per μεσισμὸν explicatam v. 10. Non est in ore eorum rectum, intimum illorum sunt ærumnæ, sepulchrum apertum guttur eorum, & lingua dolosè blanduntur: E. ô Deus reos eos peragas, prosternas, expellas. v. 11. Illa disjecto, in quo deest minor, ac cujus partes ordine inverso collocatæ sunt, cum antecedens posteriori loco positum causas exponit, desumptas à persona (1.) impiorum & hostium Davidis, qui omnes malefaciendi occasiones observant sedulo v. 9. (2.) piorum, qui inde lætitiam sunt percepturi maximam v. 12. (3.) Dei, qui protegit pios, v. 12. benedicit & benevolentia justum prosequitur v. 13 & consequens priori loco collocatum hanc conclusionem infert v. 9. Ergo me deduc in justitia tua, & complana coram me viam tuam.

PRIOR PARS.

V. 2, 3, 4. PEtitio prior tribus modis, per ὑπωρὴν exponitur ad ardorem invocantis exprimendum supra Ps. 4, 1. Quia enim tribus modis fieri potest, ut quis non exaudiatur ab aliquo: vel quia ille non percipit sonum verborum, vel non intelligit ea, vel deniq; alijs rebus intentus est: Hæc tria David à Deo orat simul, ut de exauditione possit esse certus. Et quoniam in angustijs constitutus vel in verba prorumpit, vel tacitus gemit, vel plangit & ejulatur, rogat ut sive dicta proferat, auribus illa à Deo (quas ei per ἀνθρωποπάθειαν tribuit) percipiantur, sive gemitus tacitos edat, à Deo intelligantur, sive vocem clamoris efferat, intentis auribus atq;

animo à Deo quasi imbibatur. In prima phrasi verbum
הֶאֱזִין. הַאֲזִינָה Ex conjugatione Hiphil occurrit, cujus emphasin
LXX. satis exprimunt vocabulo à se facto ἐνώτισαι, quod etjam
בִּין. Act 2,14. exstat. In secunda verbum בִּינָה significat hoc loco intellexit: quod quia primario de ijs dici nequit, quæ sunt
sensibus obvia, per sequens nomen non tam λόγον θεοφορικόν
quam ἐνδιάθετον designari statuimus, inprimis cum verbum hoc
הֲגִיגִי. ei attribuatur, qui est omniscius: Derivatur autem הֲגִיגִי per
שַׁוְעָ. geminationem secundæ radicalis, quæ significationem intendit,
à radice הָגָה de qua Ps. 1, 2. Ps. 2, 1. In tertia phrasi vox שַׁוְעָ
notat clamorem hominis perturbati, & ejus, qui de potestate
mentis, vehementia affectuum, exijt, quem clamorem Latini
vocant vociferationem. Hoc verò loco denotat precationis summum ardorem, quando non amplius homo afflictus de verbis
conceptis est sollicitus, sed idem sæpe cum planctu ingeminat,
ac velut effundit Ps. 102, 1. & 142, 3.

Causæ priores duæ supra sunt declaratæ: prior quidem,
quia es Jehova. Ps. 3, 1. posterior, quia es rex defendens
tuos contra omnes hostes & dans eis salutem omnimodam
Ps. 44, 5. & 74, 12. Et Deus piorum Ps. 2, 6. 10. & Ps. 4, 2.
& Ps. 3, 8. ubi notandum est, quod scribit in hunc locum Hieronymus: Rex meus, inquit, quia regnas in me, & non
est venter Deus meus, non est aurum Deus meus. Hic in textu statim subjunguntur duæ causæ à persona supplicis desumptæ, quarum prior, quia ad Te, ô Deus, supplex inclamo
Ps. 4, 2. exposita est: Ubi etjam emphasis vocis אֶתְפַּלָּל indicata est. Posterior, quæ versu 4. subjicitur, ita concludit:
quia Tu Deus, audis invocantes te in fide Ps. 10, 17. & 69, 34.
Prov. 15, 29. Joh. 9, 31. Ego vero Mane hoc est diligenter,
בֹּקֶר. summoq; studio (ut vox בֹּקֶר accipitur Prov. 1, 28. Ps. 59, 17.
& 92, 3.) quando nondum alijs negotijs cogitationes distrahuntur,

huntur, invoco: Exaudi orationem meam: sic enim Futurum pro Imperativo sæpe ponitur Buxtor. in thes. p. 387. vel si vocem בּוֹקֶר verbo sequenti (prædicato) conjungimus, idem est, quod subitò, in qua significatione occurrit Ps. 46, 11. & 143, 8. Manè ordinabo me tibi, disponam me maxima cura, ut ij solēt, quibus standum est in acie (quæ dicitur hebræis מַעֲרָכָה & derivatur à rad. עָרַךְ quod hoc loco occurrit) similitudine ducta à re militari: Unde etjam sequens est à vigile, vel excubias agente, quem hebræi appellant צוֹפֶה Ezech. 33, 2. à Rad. צָפָה speculatus est, observavit hostes, ne in exspectato adveniant & homines istius loci inter oscitantes opprimant: Hoc loco in Pihel cum desiderio ac fiducia expectare, ut Mich 7, 7. Mane igitur Tibi Regi Deo ac vindici meo adstabo paratus, cum alijs armis militi Christiano necessarijs, tum inprimis gladio Spiritus instructus in omni oratione ac deprecatione Eph. 6, 17, 18. ac quasi exserto capite & in excelsa constitutus specula contemplabor, quàm mox festines ad meum auxilium Ps. 70, 2. quam sollicitam expectationem valde emphatico vocabulo ἀποκαραδοκίας exprimit Paulus, Rom. 8, 19. Atq; ita simpliciter hunc locum exponimus, ut sonat litera, quam patres pleriq; tropologicè explicant. Hieronymus, cum cessa, vero jacere & sedere in peccati cœno, & incepero stare in fide, ac virtutibus, & quidem tibi stare, tunc me exaudies. Augustin. Peracta erroris mei nocte & discedentibus tenebris, quas mihi peccatis meis feci, exaudies vocem meam: Quo possunt referri quæ scribit Apostolus Rom. 13, 11.

עָרַךְ.

וְצָפִיתָ.

Patres mysticè explicant.

Vers. 5.] Sequitur jam tertium argumentum à natura Dei desumptum ex loco contrariorum, huic enthymematij inclusum: Deus non amat impios v. 5. 6. 7. E. amabit atq; exaudiet pios, ac proinde me, qui in pietate eum colo ac invoco, exaudiet v. 3. 4. 8. In antecedente per θεμονὴν utraq; prædicati vox

cati vox varijs ſynonymis declaratur: Verbum quidem ſex aliȳs: quorum tria priora negationem habent adjectam: tria poſteriora affirmant: In quibus climacem obſervare licet; atq; idem κατ' ἄφιν ἢ θέσιν declaratur. Primum enim Deus non volens peccatum *permittit, cum eo non delectetur, quæ eſt vocis* חָפֵץ *emphaſis, de qua Pſ. 1, 2. Aliàs peccatum eo planè invito fieri neutiquam poſſet: Unde liquet non eſſe omninò ἄμεσα contraria: Aut fiunt peccata Deo volente aut nolẽte, cum poſſit tertium membrum ex hoc loco adjici, videlicet* non volente *ſeu permittẽte, quando permiſſio Dei reſpicit malũ: Volũtas vero finem utilem, quem ex malo novit elicere omnipotens: Deus enim erga peccata non habet poſitivè velle aut nolle: ſed negativè non velle. Non habet poſitivè velle, quia bonus & juſtus eſt, qualis non eſſet, ſi peccata, hoc eſt, mala, & iniquitates ſeu injuſtitiam vellet. Non habet poſitivè nolle: quia eſt omnipotens, neq; eſſet omnipotens, ſi quid ipſo fieret invito. Fieret autem aliquid ipſo invito, ſi fieret, quod ipſe fieri nollet. Non igitur habet velle aut nolle peccatum; ſed non velle juxta hunc Pſalmi verſum*: Non Deus volens iniquitatem tu es, *ut nervosè ſcribit* Bellarm. lib. 2. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati c. 16.

Deus non eſt volens peccatum.

חָפֵץ.

Deus quomodo non-velit peccatum.

Peccatum apud Deum non commoratur.

Secundum: Non commorabitur apud eum, *hoc eſt, non inveniet locum apud eum hoſpitandi aut divertendi, nedum omnino commorandi vel habitandi*: גור *namq; ſignificat propriè peregrinari, in peregrinatione ad hoſpitem diverti, quod hoc loco, cum ſit neutrum, conſtruitur elliptice* יָגוּר עִמְּךָ *pro* יָגוּר עִמָּךְ *ſic Pſal. 94, 20.* Buxt. theſaur. p. 487. 488. *cum aliàs pronomina à fine affixa propriè activis verbis competant, eò quod perſonam patientem denotent, quam accuſativo caſu ea verba exprimant* Buxt. Theſaur. p. 467.

Peccatores coram Deo non

Verſ. 6.] *Tertium* non ſiſtet ſe intrepidè, *ita ut in tuo judicio*

judicio & è regione oculorum tuorum *possit consistere*, quia purior es oculis Jehova, quam ut aspicias malum Habac. 1, 13. De verbi hujus emphasi v. 2. Ps. 2. De phrasi Ps. 1, 6. & quæst. 4. ib. tractata. consistunt.

Hactenus κατ' ἄρσιν: Jam porro totidem verbis idem θετικῶς explicatur: Quartum est: Odisti, non ex absoluto decreto homines certos reprobasti, qui diligis omnia, sed odisti in homine peccatum Zach. 8, 17. & hominem propter illud Esa. 59, 2. & 1, 14. Deus odit peccatum.

Vers. 7.] Quintum, perdes *vel temporaliter ut obstinati peccatores etjam alijs in hac vita sint exemplo, vel pœnas temporales differens in vitam alteram.* Perdit peccatores.

Sextum. Abominaris & peccato pollutos ex tuo conspectu tanquam rem fœdam & fœtidam removes cum indignatione Matt. 25, 41. Quæ tria longè vehementius Dei erga peccatum odium denotant, quam præcedentia: Omnia vero indicant, neutiquam Deo placere id posse, quo, antequam fit, is non delectatur: Quando fit & perpetratur, eum qui perpetrat, à se rejicit, ac sua culpa sinit labi ac ruere, imò odit: Quando vero factum est, illum qui fecit & in eo obstinatè perdurat, perdit & abominatur. cosq; abominatur.

Nomen vero declaratur septem alijs ac simul per μεϱισμὸν ostenditur, quinam sint illi, quos Deus oderit: I. רְשָׁעִים (ut abstractum, quod est in textu obsequētia concreta, suo commutemus concreto) qua voce qui notentur vide Ps. 1, 1. II. רָעִים non tantum natura seu φύσει Gen. 6, 5. & 8, 21. Eph. 2, 3. Sap. 12, 10. sed etjam ἔθει & ἕξει Sir. 23, 11. & 18. 1. Cor. 15 33. mali. Quæ duo vocabula sunt generalia, & tam omne originale, quam actuale peccatum notant. Sequentibus vero specialia quædam peccata denotantur ex mala hac radice propullantia, veluti III. הוֹלְלִים designantur illi, qui amore sui ni- רְשָׁעִים. רָעִים. הוֹלְלִים.

sui nimio se jactitant ut Luc. 18, 9. ac despiunt Prov. 26, 12. quos græci φιλάυτους *nuncupant 2. Tim. 3, 2. Radix namq́, unde hæc vox descendit in Pihel, insanire & laudare: In Hithpael, laudibus seipsum arroganter & insipienter efferre significat. Unde nonnulli hoc loco eos notari colligunt, qui in sceleribus gloriantur Ps. 52, 2. qui laudant animam suam in desiderio suo Ps. 10, 3. prior tamen sententia probabilior est. IV.* פֹּעֲלֵי אָוֶן. פֹּעֲלֵי אָוֶן *(vulgo, qui operantur iniquitatem) sunt qui suos affectus sequuntur, & quicquid ipsis libet, faciunt, non reputantes justum an injustum hoc sit:* Ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. *Unde ex Ps. 6, 9. Matt. 7, 23.* οἱ ἐργατόμενοι τὴν ἀνομίαν *appellantur* אָוֶן *vero, quod omnem quidem iniquitatem designat, magnum cum verbo* אָוַר *(quod est concupivit) cognationem habet. V.* הוֹבְרֵי כָזָב. *sunt qui consutis dolis & verbis fraudulenter compositis hoc agunt, ut alios fallant: Ita namq́* כָּזָב *a vocabulo* שֶׁקֶר. שֶׁקֶר *differre videtur, ut hoc notet falsitatem logicam vel rei: Illud Eticam ac sermonis: Illa est quando res & sermo discrepant: hæc quando animus & sermo dicentis non conveniunt. Unde liquet hanc semper ex malo animo hominis alios decepturi: Illam ex ignorantia vel simplicitate, quandoq́ provenire: Vide Prov. 6, 19. Non est tamen hoc discrimen perpetuum. VI.* אִישׁ דָּמִים. אִישׁ דָּמִים *vocatur, qui in eo se virum præstet Ps 1, 1. nec ulli labori aut diligentiæ parcit, ut occasione oblatâ commoda, alios occidat & sanguinem corum profundat Esa. 59, 7.* דָּם. דָּמִים, דָּמִים. *enim in singulari quidem sanguinem, in plurali verò ut plurimum cædes cruentas denotat Gen. 4, 10. Hos. 4, 2. Quemadmodum etjam vox* αἷμα *in N. T. (est autem hebraismus) Matt. 23. 35. & 27, 24. Ebr. 12, 4. Sed quia etjam Magistratus ex officio suo vel in bello defensivo multum sanguinis sæpe fundit, ut de Davide constat 1. Chron. 22, 8. VII. Additur determinatio, quod illas cædes*

i. e cædes, Αἷμα.

tantum

tantum psaltes intelligat, quæ fiunt injustè & dolosè. Quæ peccata septem in interna, qualia scilicet duo priora, & externa dividere possumus, qualia scilicet 5. posteriora.

Vers 8.] Huic argumento tertium à persona supplicis desumptum subjicitur, fusius itidem expositum ac priori oppositum, hoc modo: Illos impios, ô Deus, aversaris precantes: At ego, supra Ps. 2, 6. qui quidem non sum ἀναμάρτητος & proinde ad tuam justitiam provocare haud possum Dan. 9, 17. ab his tamen atrocioribus peccatis mihi caveo Joh. 9, 31. in multitudine tuæ benignitatis *& misericordiæ, qua remittis omnia peccata Ps. 130, 7. 8. Rom. 5, 20.* ingrediar domum tuam, *ex qua impij malitiâ suâ egrediuntur: Ingrediar, meæq; indignitatis memor, reverentiæ causa* incurvatus *& prostratus humi adorabo, cumq; ipsum sanctum mihi introire non liceat, ubi singulari præsentiæ tuæ modo habitas,* ad illud palatium sanctitatis tuæ *respiciam* cum *summa* tui reverentia *& cultu, spe certa fretus, si ita juxta voluntatem & & præscriptum tuum oravero, fore ut exaudiar, votiq; compos efficiar.*

Ubi notandum, quod vel vox הֵיכַל *denotet hoc loco palatium, ut etymon indicat. derivatur siquidem à Rad.* יָכוֹל *i. e. potens fuit, & tantum ædes magnificas, quales potentes inhabitant, propriè significat. Vel si omnino quis vertere velit templum, per templum psaltes intelligat tabernaculum illud, quo tum utebantur, quod ita per anticipationem vocat,* Anticipatio. *cujus exempla sunt Gen. 12, 8, & 13, 10. Jos. 4, 19. 1. Sam. 4, 1. cum templum à Salomone demum sit ædificatum 2. Sam. 7, 6. & 14. 1. Reg. 5, 3. & 6, 1.*

De voce חֶסֶד *vide Ps. 4, 4. ac* יִרְאָה *Ps. 2, 10 quæ hoc loco, ut aliàs sæpe, synecdochice totum cultum pietatis designat Deut. 6, 13. & 10, 20. Ps. 34, 10. Prov. 1, 7. Eccl. 12, 15.*

יָרֵא *Unde etiam verbum* יָרֵא *ex Esa. 29, 13. Matt. 15, 9. per* σέβεσθαι *explicatur.*

הִשְׁתַּחֲוֹר *De voce* הִשְׁתַּחֲוֹר *observandum est, emphasin ejus græco*
Προσκυνεῖν. *vocabulo* προσκυνεῖν *exprimi, cum sit corpore inclinato, genibus flexis, vel ad pedes alterius prostrato honorem exhibere ac supplicare. Denotat enim proprie* שָׁחַח *tam se incurvare Prov. 2, 18. quàm in terram prosternere Esa. 51, 23.* κατ' ἐξοχὴν *vero & per metonymiam in Hithpael pro adorare, tam civiliter, quàm religiosè sæpissimè ponitur.*

LOCI COMMUNES.

PRater *doctrinam ex v. 1. eandem quæ supra Ps. 4, 1. tradita est.*

Ex v. 2.] *I. de assiduitate in precibus adhibenda Luc. 18. 1. & 21, 36. Phil. 4, 6. Sirac. 37, 20. II. Quod Deus sit* καρδιογνώστης, *qui tacitos nostros intelligit gemitus Exod. 14, 15. Act. 1. 24. Ps. 139, 2. 4. 6.*

Ex v. 3.] *I. De attentione in precibus necessaria Joh. 4. 24. Matt. 15, 8. De qua notetur* Bernhardi dictum c. 8. meditationum: *Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor ut meas preces exaudiat, quas ego, qui fundo, non audio: Deprecor illum, ut mihi intendat, ego vero nec mihi nec illi intendo. Et c. 6. Intende ergo illi, qui intendit tibi, audi illum loquentem tibi, ut ipse exaudiat te loquentem sibi. II. De fœdere Dei gratioso cum pijs vide supra Ps. 3, 8.*

Ex v. 4.] *I. De mentis præparatione & avocatione à rebus mundanis necessaria, cum sumus precaturi Matt. 6, 6.*

Ex v. 8.] *I. De agnitione misericordiæ Dei, nostræq; miseriæ ac peccatorum. illa merito ab ijs flagitatur qui exaudiri cupiunt Ps. 51, 2. 3. & 78, 8. 9. Luc. 18, 13. 14. Daniel 9, 4. 5. 18. 19. II. De gestibus precantium, qui sunt exercitia, quibus*

ad majo-

ad majorem Dei venerationem nos excitamus, quales sunt, levare oculos in cœlum Ps. 123, 1. Mat. 14, 19. Levare manus 1. Tim. 2, 8. Exod. 17, 11. 12. 1. Reg. 8, 22. Ps. 141. 2. Flectere genua Act. 9. 40. Eph. 3, 15. Ebr. 6, 13. Act. 21, 5. Phil. 2. 10. procidere in faciem Gen. 17. 3. 17. Dan. 9. v. 18. Aperire caput. 1. Cor. 11, 4. de quibus notetur illud Augustinus lib. 2. var. quæst. ad Simpl. quæst. 4. Non est præscriptum Dei verbo, quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus Deo præsens peragat suam intentionem.

Deus non est autor peccati.

Discimus ex v. 5 6. 7. quod Deus non sit autor peccati, cum 1. non delectetur improbitate 1. Sam. 15, 22. Esa. 1, 11. Ps. 40, 7. & 51, 18. sed tantum delectatur veritate & sacrificijs justitiæ ib. v. 8, 21. Esa. 42, 21. benignitate, jure, justitia Jer. 9, 23. II. nec malum juxta se commorari patitur, qui est summè bonus Matt. 19, 17. in cujus tabernaculo tantum commorabitur, qui ambulat integrè, exercet justitiam ac loquitur veritatem ex animo Ps. 15, 1. 2. 3 seqq. Ps. 24, 3. 4. 5. Nam quod nam potest esse consortium justitiæ cum legis transgressione, quæ communio lucis cum tenebris, quæ concordia Christo cum Belial. 2. Cor. 6, 14. 15. III. Coram quo consistere nequeunt arrogantes ac jactabundi, nec stare possunt improbi Ps. 1, 6. coram quo, quod est inter homines excelsum, (à seipso, non à Deo exaltatum) est abominatio Luc. 16, 15. & à quo qui se exaltat, humiliabitur Luc. 14, 11. qui dicit gloriantibus, ne ita gloriemini Ps. 75, 5. IV. Qui odit omnes, qui operam dant iniquitati Zach. 8, 7. eos non agnoscit, nec probat Ps. 6, 9. Mat. 7, 23. Qui odit ista sex: Oculos elevatos, linguam fallacem, manus effundentes sanguinem innocentem, animum, qui fabricatur cogitationes iniquas, pedes festinanter currentes ad malum, & testem falsum, conflantem mendacia Prov. 6. 17. 18. 19. denique omnẽ rem abominandã odit Dominus Sir. 15. 13.

V. Qui perdit loquentes mendacium, cum ipse sit veritas Ps. 31, 6. Joh. 3, 33. Rom. 3, 4. & veritate delectetur Ps. 51, 8. V. 1. Qui abominatur virum sanguinarium ac dolosum, cum ipse amet homines Deut. 33, 3. cujus benevolentia vita adest Ps. 30, 6. ac lege peculiari munita Gen. 9, 6. Exod. 20, 13.

Refutantur hinc luculentissimè Calviniani, qui veteres errores, Valentini, Marcionis, Hermogenis, Manichæorum & ex orco revocantes, blasphemè asserunt Deum esse peccati autorem, qui ad flagitia impellat, contra expressa scripturæ dicta Job. 34, 10. Ps. 92, 16. Esa. 30, 1. & 65, 12. Zephan. 3, 5. Mal. 2, 17. Sir. 15, 11 12. 20. Jac. 1, 13. Rom. 3, 5. & 9, 14. De quare vide latè differentem Chemn. par. 1. L. C. loco de C. P. Bell. l. 2. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 8. 9. 10. & seqq.

SECUNDA PARS.

Vers. 9.] *Cum in superioribus à Deo se exaudiri generatim petivisset David, nunc porro in specie exponit duo, in quibus hoc tempore gratiam ejus impetrare expetat, videlicet, ut ipse in pietatis cursu conservetur, & qui inde sua malitia se averterunt, ac in impietate obstinatè perseverant, sine ulla spe frugis bonæ, perdantur. Prius orditur exclamatione,* Jehova, *inquit (Ps. 3, 1.) cum ita se res habeat, quod peccatum abomineris, nos autem ex infirmitate peccemus sæpissime, ego hanc libenter agnosco, & me velut infirmum puerulum, dextera tua* duci *unicè flagito Deut. 1, 31. Cùm erro ut pecus mox peritura Ps. 119, 176. tu velut verus pastor ad gregem me reducas Ps. 23, 1. Luc. 15, 5. 7. & postquam reduxisti, da ut inoffenso cursu pergam Phil. 1, 10. in meo stadio, & coronam consequar incorruptam 1. Cor. 9, 24. 26. quam*

quam ut mihi intervertant mei hostes, diabolus, mundus & & caro mea, omnes temporis articulos diligenter observant, ut cum occasionem nacti sunt commodam, me à via recta abducant. Tu igitur deduc me *non in meo desiderio injusto Ps. 141. 4. sed* in tua justitia propter observatores meos *Ps. 27, 11.*

שׁוֹרֵר. *Ita enim propriè vox* שׁוֹרֵר *significat, à* שׁוּר, *quod etiam contemplari & observare notat, deducta. Ac hoc modo à reliquis nominibus hebræis, quæ vulgo Synonyma habentur, differt, inter*

אוֹיֵב. *quæ* אוֹיֵב *generale est, i. e. inimicus, qui animo malevolo est in*

צַר. *alium* צַר *vero &* צוֹרֵר *qui externa vi alium angit & opprimere*

שׁוֹרֵר. *studet* שׁוֹר *&* שׁוֹרֵר *qui fraudibus & dolis idem conatur*

idemq; diligenter in omnes nocendi occasiones intentus est,

שָׂטָן. שָׂטָן *adversarius, qui quocunq; modo nobis resistit, & potius nostrum institutum ac propositum turbare, quam suum promovere conatur Zach. 3, 1 Tu igitur ô Jehova, da ut innocenter vivam, & viam tuam bonam ac rectam inveniam, in*

הַיְשַׁר. *ea ambulem, nec ab ea deflectam. hoc siquidem est* הַיְשַׁר *fac* rectam *&* complana coram me, *da ut mihi, quæ recta est, bona ac recta via videatur, nec licet meæ corruptæ naturæ abblandiatur Ps. 141, 3. 4. & facilis videatur via lata Matt. 7, 13. unquam eam insistam cum improbis Ps. 1, 1. qui labio blanditiarum ac duplici corde loquuntur Ps. 12, 3. & similes sunt sepulchris dealbatis, quæ extra quidem apparent speciosa, intus vero plena sunt omni immunditia Matt. 23, 27.*

Vers. 10.] *Quia* non est in ore uniuscujusq; illorum

נְכוֹנָה. rectum *vel verum, certa immota veritas, unde vocem* נְכוֹנָה *LXX. vocabulo* ἀληθείαν *reddunt, quæ à radice* כּוּן *id est, perfecit, stabilivit, derivatur, cujus Benoni Niphal fœmininum hoc loco in nomen degenerat, & pro neutro, quo hebræi carent ponitur elliptice* Buxt. in thes. p. 315. *quorum blanda sunt butyrina verba in ore, & bellum in corde, quorum*

molliora verba oleo, sed stricti gladij sunt Ps. 55, 22. intimum illorum ærumnæ sunt, *quicquid ore proferunt, est mendacium, quicquid in corde volvunt, est consilium de damnis, quæ inferant alijs, unde quasi* sepulchrum apertum est guttur illorum, *cum nihil inde exhalet, quam quod ad interitum aliorum vergat, & quò in sepulchrum deducantur:* lingua suâ dolosè blandiuntur: *Vel ut propriè sonant hebræa, linguam suam dividunt i.e. modo hoc modo illud dicunt, imo, ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore dicunt, quod ne sentiant alij,* חָלַק. *blandè eos compellant:* חָלַק *enim in K. significat partitus est, divisit, & in Hiphil, blanditus est, dicta sua in se dura & aspera emollivit: Unde hoc membro eos intelligi putamus, quos græci* δίγλωσσους: *Latini bilingues ac duplices nominant, qui vel aliud mihi, aliud reliquis de me dicunt, vel quibus mel in ore, fel in corde (Ps. 55, 22. v. & 28, 3.)*

Hic locus quomodo Rom. 3, 13. citetur.

Observandum vero est, quæ his membris posterioribus dicuntur in hypothesi de certis hominibus ac Davidis insidiatoribus, ea rectissime ab Apostolo Rom. 3, 13. transferri ad thesin, ad omnes homines ψυχικοὺς *carnales, nondum regeneratos, vel à justitia iterum aversos, cum talis sit omnium hominum, benignitate Dei destitutorum natura, qualis horum fuit, qui Davidi præter omne jus ac fas struebant insidias & impietati se planè addixerant.*

Vers. 11.] Peccatis eorum ita expositis pœnas Psaltes subjicit: Cum enim contra conscientiæ suæ testimonium ita mendacia confient, damna, cædes ac dolos spirent nec resipiscere velint, fieri per justitiam Dei aliter haut potest, quam ut suæ rebellionis pœnas luant gravissimas. Nam quia rebellant in Te, *ô Deus, & resistunt tuis monitis saluberrimis, vaticinor, haud vanus aut falsus vates, futurum ut malitia eorum abs Te detegatur, ipsi prosternantur, impellantur, quæ climax*

satis aper-

satis apertè habetur in textu, cujus primus gradus est, reos fac istos אֱלֹהִים id est judex terræ Ps. 4, 2. fac ut appareant eorum peccata, hactenus occultata, fac eos piacula & condemna, quæ omnia voce הַאֲשִׁימֵם innuuntur: quæ quia est ex hiphil hoc loco declarationem significat, cum nomen cognatum אָשָׁם oblationem pro reatu, vel piaculum notet, Lev. 5, 6. 7. 15. qui nisi remittatur, condemnatio sequi solet, ideoq; postrema significatio ab hoc loco non erit aliena. הַאֲשִׁימֵם.

Secundus gradus est, reos jam declaratos prosterne, ut decidant de suis consilijs, in quibus egregiè sibi stare & fundati esse videbantur Ps. 2, 2.

Tertius gradus est, prostratos, cum iterum conantur surgere, planè impelle, ac ex conspectu tuo gratioso depelle propter multitudinem & amplitudinem defectionũ suarũ (quemadmodum ב pro בַּעֲבוּר positum legimus Gen. 18, 28. & 29. 20. Jon. 1, 14. Ose. 12, 12. & ex in eadem significatione ex hoc hebraismo occurrit Col. 2, 16. quia toties abs te revocati ut reciperentur in gratiam, iterum defecerunt abs Te rege suo: Ideoq; jam tandem ut digni sunt, eos tractabis, quod Spiriritu tuo edoctus prædico. Sic enim habendum est, prædictiones potius & vaticinia his & similibus verbis contineri, quibus pij ex instinctu peculiari Spiritus Sancti ominantur, quid tandem futurum sit, quàm imprecationes seu exsecrationes, quales præter hanc à Davide prolatæ sunt Ps. 69. 23. 24. & 109, 7. 8. 9. ב pro בַּעֲבוּר

Vers. 12] Atq; hactenus petitio specialis posterior, quæ absoluta redit Propheta ad priorem, subjiciens adhuc duas causas præter eam, quæ versu 9. est exposita, cur speret, fore ut ipsi à Deo benedicatur, quas tamen huc propterea reservatas esse credibile est, quod ex contrario et jam ex ijs liceat concludere; Deum impijs pœnas suorum peccatorum immissurum esse, Atq;

esse. Atq; ita utraq; petitio inde colligi queat firmissime: Altera directè ac per se: Altera obliquè & per aliud: Prior duarum causarum est ab effectu desumpta, qui secuturus est in pijs, cum Deus pium Davidem paterna sua cura protexerit: Hostes vero ejus præfractos depulerit, pij gaudebunt.

Hujus propositionis tam subjectum quàm prædicatum tripliciter circumscribitur: subjectum I. omnes recipientes se ad Te, *Ubi notanda est emphasis verbi* חָסָה *de qua Ps 2, 12. II.* ij quos protegis *ac velut tabernaculo obtegis Apoc. 7, 15. contra omnes injurias & calamitates ingruentes Ps. 27, 5. Esa. 4, 5. 6. ubi* ו *conjunctio inseparabilis ponitur pro relativo ut Joel. 3, 3. Ps. 115, 5. 6 7. & 49, 21. & 59, 1. Amos 1, 4. 7. 10. 12. & 3, 6. &* אֲשֶׁר *Mar. 8. 24. Luc. 14, 5. Atq; ita hoc loco est pleonasmus relativi, de quo* Buxtorf. Thes. p. 375. *Verbo* סָכַךְ *respicere à nonnullis putatur ad historiam eductionis Israëlitarum ex Ægypto, in qua sæpe occurrit, quum Dei protectio indicatur Exod. 40, 3. 21. alij putant ad festum tabernaculorum alludi Levit. 23, 34. 43. III.* Amantes nominis tui *id est, tui ipsius: Quia Deus suum ipsius nomen est, & nomen ejus ipse Deus, ut dicunt hebræi, & verbi tui, in quo tuam essentiam & voluntatem revelasti: quemadmodum nomine rei natura & proprietas ejus exprimitur, sicut in N.T. sunt æquipollentia credere in Christum, & credere in Christi nomen. confer Joh. 1, 12. & 3, 15. 16.*

ר & אֲשֶׁר pro relativo.

Deus est suum nomen.

שָׂמַח
רָנַן
עָלַץ

Prædicatum totidem verbis effertur inter quæ I. est שָׂמַח *id est, lætatus est in corde Ps. 4, 8. quod LXX. per* εὐφράνθη *vertunt II.* רָנַן *id est, voce lætitiam testatus est, ovavit, jubilavit. III.* עָלַץ *id est, gestu externo & inprimis exultans lætitiam prodidit. Medio verbo determinatio quædam adjicitur, quæ notat non citò transiturum hoc piorum gaudium, sed quamdiu ipsi, futurum etjam hoc est, hæc enim est*

vocis

לְעוֹלָם. vocis לְעוֹלָם *natura, ut significet perpetuitatem, secundum conditionem rei, cui conjungitur. Quoniam igitur pij revera in æternum duraturi sunt Joh. 11, 26. 1. Thes. 4, 17. gaudium etjam ipsorum perpetuum fore concludimus. vide* Chemn. p. 2. loc. comm. l. 1. de lege D. c. 5.

Vers. 13.] *Posterior causa ab efficiente deducta, in hunc modum concludit:* quia Tu Jehova benedicere soles justo, & facere, ut benevolentia instar coronæ circumtegat eum *ab omni parte* tanquam umbo: *mihi etjam te piè invocanti & colenti benedices, omnibusq; bonis uberrimè ditabis, (ut vox* בָּרַךְ *Deo tributa explicata est Ps. 3, 9. quemadmodum & nomen* צַדִּיק *Ps. 1, 5. 6) ac deniq; contra hostes gloriosè proteges Ps. 21, 4. Atq; hæc omnia ex mera benevolentia mihi præstabis, qua pios in, per & propter Christum prosequeris. Cum enim verbum* רָצָה *in N. T. per* τὸ εὐδοκεῖν, *& nomen* רָצוֹן *per* εὐδοκίαν *exprimatur: Hæc autem tantum per Christum hominibus contingat, hoc loco etjam Christi implicitam mentionem fieri statuimus, Confer Esa. 42, 1. Matt. 12, 18. & 3, 17. Luc. 2, 14.*

בָּרַךְ.

רָצָה. Εὐδοκία.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex *v. 9.*] *I. de infirmitate nostra agnoscenda Ps. 32, 6. 7. 8. & 43, 2. 3. Mar. 9, 24. 2. Cor. c. 3, 4. Rom. 7, 14. II. De auxilio Dei spirituali precibus impetrando, ut nos in fide & pietate conservet Ps. 25, 4. 5. & 143. 10. Phil. 1, 6. 9. 10. Col. 1, 9. 10.*

Ex v. 10.] *De natura & ingenio hominum gratia Dei destitutorum Ps. 14, 1. seqq. & 36, 2. seqq. & 50, 17. Rom. 3, 10 seqq. 1. Cor. 6, 9 10. Gal. 5, 19. seqq. Eph. 2, 1. 2. 9 & 4. 17.*

Ex v. 11.] *De pœna contumacium peccatorum Esa. 6, 9. 10. Rom. 2, v. 8. 9. Prov. 1, 26.*

R *Discimus*

Piorum gaudium distinguitur à lætitia mundana.

Discimus ex v. 12. & 13. quodnam sit proprium piorum *hominum* gaudium, *quod hic, quemadmodum & Psalmo præcedente v. 7. 8. 9. distinguitur à mundanâ lætitiâ* subjecto, objecto, signis, tempore, & causa efficiente.

Subjecto.

Subjectum ejus sunt verè credentes, qui ad Dei misericordiam per Christum partam fide confugiunt, tanquam sub umbram alarum ejus Ps. 57, 2. & 91, 1. 2. sub qua protegunt & confidunt omnes, qui norunt nomen ejus Ps. 9, 11. Contrà improbis non est vera pax, nec tranquillitas animi Esa. 57, 24.

Objecto.

Objectum est Deus, in cujus conspectu est satietas gaudiorum amœnissimorum Ps. 16, 11. qui si tantum super nos effert lucem vultus sui, lætitiam nobis donat corde Ps. 4, 7. 8. ut exultent & lætentur justi, & cantent omnes recti corde Ps. 32, 11. in Jehova se jactet anima eorum Ps 34, 3. & in hoc glorientur quod cognoscant Jehovam Jer. 9, 24. Contrà mundus ob bonum fallax gaudet Jer. 9, 23. Ps. 144, 12. 13. 14.

Signis.

Signa sunt, quod sit pulcherrima harmonia & consensus internorum affectuum & externorum membrorum, ut, quando cor lætatur, simul os cantet, pedes & reliqua membra exsultent præ gaudio Ps. 84, 3. seqq. & 9. 3 & 16, 9. Contrà Impij externis gestibus simulant aliquamdiu gaudium, intus tamen semper mala cruciantur conscientia Rom. 2, 15.

Tempore.

Tempus hujus gaudij est perpetuum Ps. 16, 11. Joh. 16, 22. Ps. 84, 5. Contrà mundi gaudium est vanum Eccl. 2, 1. ejusq; lætitia tandem fit mœror Prov. 14, 13.

Causa efficiente.

Causa efficiens est Dei liberalitas, benedictio & benevolentia, qua prosequitur pios Ps. 3, 9. qui coronat ac circumtegit eos benignitate & miserationibus Ps 103, 4. ac servat ab omni malo Ps. 121, 7. Contrà improbis Deus maledicit Mal. 2, 2. eos odit supra v. 6. amantem violentiæ odit animus ipsius, de-

pluet

pluet super improbos prunas, ignem & sulphur, ventusque procellosissimus portio calicis illorum futurus est Ps. 11,5.6.

PROBLEMA.

QVÆSTIO *est: Num* Bellarminus *rectè ex illis verbis v. 6. odisti omnes, qui operantur iniquitatem* lib. 1. de Sacram. Bapt. c. 13. *probare possit: Baptismo reipsa ita tolli omnia peccata, ut nihil amplius sit in regeneratis, quod imputari possit in culpam?* Q. An Baptismo prorsus tollatur peccatum.

R *Negamus, quia committit ignorationem Elenchi, cum citet dictum planè ἀπροσδιόνυσον, quod agit de peccatis actualibus illis, quæ fiunt contra conscientiam, nec possunt cum fide consistere: Quæstio autem est de peccatis venialibus, ut vocant, quæ statuimus reperiri etiam in homine baptisato ac vera fide prædito Eccl. 7, 21. 1, Joh. 1. 8. 9. in quo Christi justitia, fide apprehensa, ac per baptismum collata Gal. 3,27. ita tegit peccatum Ps. 32, 1. ut non amplius videatur Num. 23. v. 25. nec imputetur Rom. 4, 5. 24. 25. licet sit verè dictum peccatum, & sua naturæ morte dignum, cum sit ἀνομία Rom. 7, 21, 23. 1. Joh. 3 4. reddens nos miseros Rom. 7, 24. non tamen condemnans eos, qui sunt in Christo Rom. 8, 1.*

Illud patet 1. ex phrasi פֹּעֲלֵי אָוֶן, *quæ tantum usurpatur de ijs, qui fide destituti, nefariè contra conscientiam peccant, summoq; ac indefesso studio operantur peccatum actuale, ut liquet ex collatione omnium scripturæ locorum, ubi extat hæc phrasis Job 31, 3. & c. 34, 8. 22. Ps. 5, 6. & 6, 9. & 14, 4. & 28, 3. & 36, 13. & 59. v. 3. & 64, 3. & 92, 8. 10, & 94, 16. & 101, 8. & 125, 5. & 141, 4. 9. Prov. 10, 29. & 21, 15. & 30, 20. Esa. 31, 2. Ose. 6, 9. Mat. 7, 23. Luc. 13, 27.* Vide Chemn. part. 1. C. Loc. de pec. c. 8. *II. ex membro hujus versus antecedente & consequentibus. III. Ex citatione Divi Apostoli, qui ex hu-*

jus Pſ. v. 10 de ijsdem in hypotheſi agente, de quibus in theſi v. 5. 6. 7. loquitur Rom. 3, 13. naturam omnium hominum fide & gratia Dei deſtitutorum declarat. Hoc liquet, cum dicimus hoc eſſe veniale peccatum, quod licet in renato per baptiſmum maneat, veniæ tamen promiſſionem habet propter Chriſtum, qui id tegit & reatum ſua ſatisfactione tollit Joh. 1, 29. cum ex ſua natura ſecundum legem conſideratum ſit morte dignum, Deut. 27, 26. Gal 3, 10. Pſ. 143, 2. De qua quæſtione plenius diſſerentem pro noſtrâ parte vide Chemn. part. 1. ex. conc. Trid. l. 3. de reliquiis peccati origin. poſt baptiſm. & p. 1. L. C. L. VII. c. 7.

ENARRATIO PSALMI SEXTI.

חַשְּׁמִינִית quid notet 1, verè,

Væ in titulo hujus Pſalmi occurrunt, ſuperius in titulo Pſalmi 3. & 4 ſunt declarata præter vocem חַשְּׁמִינִית, *quæ hoc loco notat ſpeciem inſtrumẽtorum muſicorum pulſatilium* ἐντάτων, *quæ decantari præcipuè hic & duodecimus Pſalmus debuit, citharam, videlicet octo chordarum. Hæc namq; interpretatio, quæ & derivationi vocis, & argumento inſcriptionis optimè congruit,*

2. Ut putatur. *ſimplicior eſt, quam aliorum, qui vertunt ſuper octavam: quaſi hic Pſalmus intentiſſima voce canendus ſit ad ardorem*

3. *precantis indicandum, ita* Vatablus & Pagninus: *veleorum, qui reddunt, ad gravem Symphoniam, quæ eſt juxta ipſos*

ipsos Tenor & Bassus ad gravitatem cantus designandam. ita Junius. *Descendit à radice* שָׁמַן *id est, pinguis fuit, atq; ab ejus quidem derivato* שְׁמוֹנָה *nomine numerali cardinali id est, octo, vel ut propius accedamus, ab ordinali* שְׁמִינִי *id est, octavus: Cujus fœminimum hoc est absolutè positum per ellipsin substantivi, de qua* Buxtorff. *in thes. p. 315.*

Argumento vero inscriptionis hæc interpretatio convenit, quia in ea non tantum genus instrumentorum musicorum, sed etjam sæpè species eorundem designari solet mediante præpositione עַל *quemadmodum in titulis Psalm. 45. 60. 69. alia citharæ species denotatur 6. chordis constans, ut ex derivatione vocis* שׁוֹשַׁן *liquet: Et aliàs mentio sæpè fit ejus citharæ, quæ quod decem chordis constabat ab hebræis* עָשׂוֹר *vocata est Psal. 33, 2 & 144, 9. Accedit, quod 1. Chronic. 15, 21. inter citharæ species* שְׁמִינִית *numeretur. Præterea cum tam in his specialibus, quam generalibus instrumẽtorum musicorum nominibus, de quibus in titulo Psal. 4. & 5. statuenda sit nominis substantivi ellipsis, mirum non erit, hic quoq; eam adhiberi. Deniq; eam explicationem confirmant tum hebræorum præcipui, tum Chaldæus paraphrastes.*

שׁוֹשַׁן עֵדוּת.

Hinc colligi potest, quid de hujus loci expositione sit sentiendum. quam in commentario super eum sibi defendendam sumit Bellarm. q. hic sit sensus: super octavam, scilicet diem, qui erit ultimi judicij, quia sequitur post sex dies laboriosos hujus vitæ, & septimam quietis animarum: Cum hic Psalmus sit primus illorum septem, qui ad pœnitentiam pertinent. Nam ut taceam quod apud hebræos nomen יוֹם *id est, dies, cum sit masculinum tantum, ad hoc adjectivum fœmininũ commode subaudiri nequeat, planè dissolutas scopas loco rationũ adhibet Bellarminus. Quis enim non videt valde* ἀσυλλογίστως

Refutatur Bellarm. explicatio.

colligi? Si hic Psalmus est primus pœnitentialis vox, שְׁמִינִית in titulo ejus diem octavum judicij ultimi innuit. Negatur enim consequentia, cum antecedens refutet consequens: Accommodatio sit valde contorta, imo in eo falsa, tum quod diem quietis animarum facit septimum, cum reliquis sex includatur: neq; teste Paulo, ante extremum judicium simus omnes obdormituri 1. Cor. 15, 51 52. 1. Thes. 4, 15. Tum quod hunc diem quietis septimum pœnitentiæ relinquere locum præsupponat.

Argumentum. Argumentum hujus Psalmi est: David ægrotus reali & oculari hac concione de peccati sui & iræ divinæ magnitudine admonitus, ac proinde perturbatus Dei misericordiam implorat, oratq; ne meritas à se pœnas exposcat, sed potius sibi ignoscat, ac placatus se recreet. Fide vero vicissim erectus Deo agit gratias, quod ipse, contra suorum hostium expectationem, opem tulerit.

Usus. Usus est, ut calamitatibus externis pressi, de causa earum omnium primò removenda simus solliciti, peccatorum veniam à Deo petamus, certa fide nos erigentes, fore ut hanc impetremus, & simul illarum mitigationem. Ex quibus etjam patet, quo jure Bellarminus rejiciat illam sententiam, hunc Psalmum à Davide non fuisse compositum ad sanitatem corporis recuperandã, cum scriptura hujus morbi mentionem non faciat, & Ecclesia hunc Psalmum inter pœnitentiales referat. Nam

Bellarminus refutatur.

1. quod prius spectat: primum multa Davidi accidisse statuimus, quæ in sacras literas haut referenda censuit Spiritus Sanctus. Deinde cum ex hoc ipso satis manifestè morbus ille probari queat, quid opus erit alijs in locis scripturæ eum inquirere, cujus mos est quædam omittere, quæ tamen ex ijs, quæ scripta sunt, facilè intelliguntur. Ad posterius quod attinet, pugnare ea inter se putat Jesuita, quæ sunt subordinata; Propterea enim,

2.

enim, quia in morbum David inciderat, de causa ejus tollenda cogitabat, atq; idcirco occasione inde arrepta in pœnitentia vera ad Deum confugit, ut meritò possit dici, hic Psalmus est oratio peccatoris, timentis divinum judicium, ut placet Bellarmino.

Psalmus est εὐκτικὸς καὶ εὐχαριστικὸς, ejusq; partes principales sunt duæ, quarum prior est petitio, qua se exaudiri orat, confirmata variis causis. Posterior, gratiarum actio ex fide profecta, qua se exauditum gloriatur. Illa est duplex: Prior κατ' ἄφιν est gratiæ, ut vocant, privativæ & mali deprecatio, iræ videlicet & flagellorum Dei v. 2. posterior, κατὰ θέσιν gratiæ positivæ & boni flagitatio, tam generalis, ut præstet gratiam, quam specialis, in qua donari sibi petit bona tum corporalia, ut sanitatem v. 3. tum spiritualia, ut gratiosum placati Dei adspectum, liberationem à morsu conscientiæ & salutem æternam versu 5. Ἀνάλυσις. Partes duæ, I. Petitio. Duplex.

Confirmatio petitioni inserta est, & duplicia continet argumenta, quorum alia à persona Dei: Alia à personâ supplicis sunt desumpta. Illa sunt quatuor: I. Quia est Jehova, qui solet paterne suos castigare v. 2. II. quia solet cito miseris succurrere v. 4. III. Quia est misericors v. 5. IV. Quia gloriam suam ita promovet v 7. Hæc sunt totidem, deducta à mali I. Subjecto & constitutione suæ personæ; quia ego sum infirmus: quod per μέλισμὸν declarat, turbatum est corpus meum v. 3. & anima mea v. 4. II. Diuturnitate: quousq; Domine, ibid. III. magnitudine, quæ declaratur effectis, videlicet gemitibus crebris, lacrymis uberrimè etiam de nocte profusis v. 7. IV. deformitate faciei v. 8. V. Adjuncto, gaudio videlicet hostium, ibidem. Ejus confirmatio.

Gratiarum actio ijsdem constat partibus ἔπμονῆ ornatis, propositione videlicet & confirmatione; Illa est; Gaudeo me esse à II. Gratiarum actio.

esse à malo liberatum, ob quod gaudebunt hostes mei, illustrata per Apostrophen ad hostes directam v. 9. Et expolitionem v. 11. Hæc, quia Dominus jam exaudivit vocem fletus mei v. 9. 10.

PARS PRIOR.

Vers. 2.] DEprecatio Davidis, quæ est priori loco collocata, duabus figuris Rhetoricis, psalti valde familiaribus, & supplicationibus valdè accommodatis, exornata est, Exclamatione scilicet & Interpretatione: Illa ad eum se convertit, qui ipsum percussit, & rogat ut ille etjam obliget Ose. 6, 1. supra Ps. 3, 1. Hac cum prius irati Dei reprehensionem deprecatus esset, explicat, quod flagellum Dei ira & fervore æstuantis oret averti, ne Deus sit severus erga ipsum judex, vel verbo legis & calamitatibus nimis durè increpando, vel pœnis nimis severè affligendo. Unde liquet, quod non tam castigationem paternam, de qua Prov. 3, 13. 1 Cor. 11, 31. Ebr. 12, 5. quam eam, quæ ex ira & fervore proficiscitur, de qua Ps. 11, 6. & 79, 6. Ebr. 10, 31. deprecetur. אַף enim cum nasum, & per synecdochen partis pro toto, vultum significet; metonymicè verò iram denotet, colligimus, designari in priori membro iram, cujus signa vultu torvo edantur. vide Ps. 2, 12.

אַף.

חֲמָתְךָ. In posteriori autem membro voce חֲמָתְךָ indicari summum iræ gradum, quem latinè fervorem, æstum vel excandescentiam appellamus, cum descendat à radice יָחַם incaluit.

הוֹכִיחַ. Ελέγχειν. Verbum הוֹכִיחַ tam verbis durioribus castigare, atq; adeo sceleris convincere (quod græcis est ἐλέγχειν Joh. 8, 46. & 16, 8. Eph. 5, v. 11.) Prov. 1, 25. & 9, 7. 8. Ps. 50, 21. & 39, 12 Job 13, 10. Am. 5, 10. quam plagis admissi facinoris convictum afficere notat. 1. Chron. 12, 17. & 16, 21. Mich. 4, 3. Ps. 105, 14.

יַסַּר. itidem, utroq; modo erudire significat verbis Prov. 9, 7. Esa. 8, 11. & verberibus Ps. 94, 10. & 118, 18. 1. Reg. 12, 11. Sensus itaq; hu-

itaq; hujus versus est: sive ô Jehova fulmen legis tuæ in me vibras, meamq; conscientiam voce duriore legis territas, pavidam eam rursus voce Evangelij consoleris, ne desperem: sive calamitatibus me afficis, in ira, misericordiæ tuæ memor, eas mitiges, ne planè peream Jer. 10, 24. Hab. 3, 2.

Vers. 3. & 4.] Quoniam vero, ut scribit Hieronymus, *misericordiam Dei invenit, qui se miserum confitetur, deprecationi præcedenti mali pœnæ, in qua simul suam exposuerat miseriam, petitionem boni psaltes subjicit, & in genere gratiam Dei, in qua sola sunt pijs omnia Ps. 4, 2. sibi optat, quæ quia in eo potissimum cernitur, quando Deus nostræ miseriæ sensu permotus, ex ea nos liberat & miseretur, sæpius misericordiæ nomine exprimitur à patribus latinis cum verbum* חָנַן à רָחַם *ita differat apud Ebræos, ut* χαρίζομαι à σπλαγχνίζομαι *apud Græcos, vel ut logicis terminis utar, ut genus à specie: Cum illud ex gratia omnia bona quovis tempore: Hoc vero auxilium in miserijs præstare propriè significet.* חָנַן. רָחַם.

Petitioni huic generalem adjungit causam: quia, inquit, languefactus *& infirmus sum tam animo, qui concione legis & metu pœnarum, quas illa minatur, perterrefactus & contritus est: quàm corpore, quod morbo, alijsve calamitatibus affectum valde debilitatum est: Id quod in voce* אֻמְלַל *cum geminatio tertiæ radicalis innuit: tum usus ostendit. De corpore accipitur Jer. 15, 9. 1. Sam. 2, 5. Nehem. 4, 2. De animo Esa. 19, 8. & 24, 4. Jer. 14, 2. Ose. 4, 3. ubi voci luctus & mœroris ἐξηγητικῶς subjicitur. Quin etjam, quia metaphoricè tributam eam legimus flaccessentibus & marcessentibus frugibus Esa. 24, 7. vitibus Esa. 16, 8. oleis & ficubus Joel. 1, 10. & 12. arboribus & floribus Nahum. 1, 4. interitui proximis, illo indicat David, se destitutum ita esse omnibus viribus, ita se confectum ex dolore ac sensu iræ Dei, ut præ-* אֻמְלַל. dicitur de corpore, animo. frugibus, floribus.

ſtantiſſimus humor converſus ſit in ſiccitates æſtivas Pſ. 32, 4. & niſi mox opem ferat Deus, percundum ipſi ſit, ut iſtis rebus contingit, niſi recreentur tempeſtiva pluviâ.

Porro in ſpecie rogat, ut Deus ſanet vulnera à ſe inflicta. Pſ. 51, 10. Eſa. 19, 22. Oſe. 6, 1. cum ipſe ſit verus medicus Exod. 15, 26. qui medetur omnibus morbis noſtris Pſ. 103, 3. Sap. 16, 12. 13. ſanet igitur ſe quoq; corpore & animo ægrum quàm maximè. Hoc probat, dum partem ſui robuſtiorem, oſſa ſcilicet, & potiorem, animam nempe ipſam, conturbatam & perterrefactam eſſe conqueritur. Atq; ita primum à magnitudine ſui doloris argumentatur in hunc modum: Tu Deus pollicitus es, te cum animo contrito habitare, ut vivum conſerves Spiritum demiſſorum Eſa. 57, v. 15. Ergo cura etjam me, & redde mihi conſolationes ibid. v. 17. 18. qui debilitatus & attritus ſum pervalde Pſ. 138, 9. quippe cujus oſſa fermè ſunt diſperſa, detrudenda in os ſepulchri Pſ. 141, 7. atq; ita omne robur & virtus mea me dereliquerunt Pſ. 38, 11. עֲצָמַי (cujus plurale hoc loco extat cum affixo,) non tantum ſæpiſſimè os à robore ſic dictum, verum etjam ſynecdochicè ſæpe corpus, ſubſtantiam, atq; adeò, quandoq; ipſum hominem ſignificat, derivaturq; à radice עָצַם id eſt, robuſtus & potens fuit. עֲצָמַי

Vox נֶפֶשׁ cum ei vel corpus (ut h. l.) vel pars corporis opponitur, potiorem compoſiti partem notat, nempe animam, tam rationalem ſeu intelligentem hominis, ut hoc loco, quam irrationalem ſentientem bruti Lev. 17, 14. Aliàs vero per ſynecdochen partis totum compoſitum, corpus, videlicet, animatum Pſ. 7, 3. 6. Pſ. 105, 17. Ezech. 16, 5. & per conſequens etjam hominis perſonam Gen. 46, 25. Lev. 4, 17. vel per metonym. cauſæ, vitam Gen. 19, v. 17. 2. Sam. 1, 9. (Matt. 6, 25.) & deſiderium Pſ. 27, 12. vel deniq; per antiphraſin, cadaver exanime Num. 9, 6. Sir. 16, 34. denotat; quemadmodum in N. T. eas-

נֶפֶשׁ quam variè accipiatur.

N. T. easdem ferè significationes omnes, ex hoc hebraismo nomen ψυχή retinet.

ψυχή. נִבְהֲלוּ.

Verbum נִבְהֲלוּ *propriè denotat, re inopinata & quæ exspectatione celerius advenit, valde perturbatus est, cum natura ita comparatum sit, ut tela non prævisa magis noceant, graviusq; perturbent. Unde in Pihel hoc verbum turbavit & acceleravit significat. Vide Job. 22, 10.*

Secundum argumentum à diuturnitate mali deductum per ἀποσιώπησιν figuram in afflictione quiritantibus familiarem in hunc modum proponitur: At Tu Jehova quousq;? *scilicet differs tuum auxilium, quousq; mei oblivisceris? quousq; abscondes faciem tuam Ps. 13, 2. 3. qui soles cito in ærumnis constitutis succurrere Luc. 18, 8. & nondum clamantibus respondere Esa. 65, 24. Ecce ego etjam jampridem interdiu clamo & noctu coram Te, inclina aurem tuam ad clamorem meum. Nam saturata est malis anima mea Ps. 88, 2. 3.*

Et quia in his malis meis hostibus, imo & mihi ipsi judicium carnis sequenti, abesse à me & procul discessisse videris, cum nullum tui auxilij externum exstet documentum: age revertere *& ostende tuam præsentiam auxilio, ut omnes Te mihi adesse videamus, qui es omnipræsens,* expedi animam meam *ab illis terroribus mortis, quibus est implicita, & de tendiculis, quibus est impedita, conclusa ac fere in infernum detrusa Ps. 18, 5. 6. & cum eam à morte liberaveris,* salvum me fac, *longitudine dierum satia me, efficitoq; ut fruar salute tua Ps. 91, 16. Ps. 3, 6. cum in hac, tum in futura vita Esa. 45. 17. Atq; hæc omnia gratis mihi præsta, propter* tuam *solus* benignitatem, *qua me immerentem prosequeris, ut de voce* חַסְדֶּךָ *Ps. 4, 4. dictum est, cui præfixa particula* לְמַעַן *notat* לְמַעַן. *redditionem causæ, quæ cognata est R.* עָנָה *respondit, ut si quæras: Cur Deus homines miseros salvat, respondendum*

esse nôris, propter suam benignitatem & ad suam gloriam, quæ ut tantò latius possit propagari, pios diutius in hac vita conservat.

Quia *igitur* non est in hac morte recordatio tui DEUS, *qui es laudandus in secula, nec ego amplius in cœtu Ecclesiæ militantis te laudabo, nec alij meo nomine tuum nomen prædicabunt, si me in hac ira tua morti penitus tradideris, quæ tua est misericordia, in hac vita me adhuc aliquamdiu conservare clemẽter digneris, ut beneficiorum tuorũ memoriam grato animo celebremus. Nam expertes vitæ non celebrabuntte,* non enarrabitur in sepulchro *benignitas tua, nec fides tua in perditione Psal. 88, 11. 12. 13. Atq; ita posterius hujus versus membrum exegeticum prioris esse, cum argumento hujus loci, tum collatione locorum similium Psal. 30, 4. 10. & 88, 11. Esa. 38, 18.* הוֹדֹה. *statuimus, in quo verbum* הוֹדֹה *non simpliciter confiteri, sed agnoscere grato animo beneficium, grato ore id celebrare, ac eo nomine gratias agere significat, ut accipitur Psal. 9, 1. & 43, 4. & 106, 1 Unde factum est, ut etjam apud Græcos verbum* ἐξομολογεῖσθαι *eandem significationem obtineat, Matt. 11, 25. Rom. 14, 11.* ἐξομολογεῖσθαι.

Si quis tamen vocem שְׁאוֹל *omnino interpretari velit infernum, non repugnabit fidei analogia, licet illud simplicius videatur & huic loco convenientius, ut de sepulchro accipiamus, in quod qui descenderunt mortui, non laudabunt Dominum Psal. 115, 17 sed vivens, vivens ipse celebrabit eum Esa. 38, 18.*

Vers. 7.] *Atq; hoc est ultimum à Persona Dei, atq; ejus quidem gloriæ propagatione desumptum argumentum, cui ultimum à persona supplicis deductum subjicitur, à mali, quo affligebatur, magnitudine, quæ declaratur tribus signis externis, inter quæ I. gemitus seu* אָנַח, *suspiria, ex intimo pectore ducta.* אָנַח *namq;*

namq; suspiravit designat, quibus se defatigatum & fermè omnibus viribus exhaustum indicatur: cum verbo יָגַע utatur, quod græco κοπάω respondet, & notat ex labore summam molestiam capio, eo planè delassor, ac velut confringor. vide Ps. 69, 4. Eccl. 1, 8. & 12, 12. Esa. 40, 28. Matt. 11, v. 28. Joh. 4, 6. 2. Tim. 2, 6. q. d. cum Jeremia c. 45, 3. eheu jam mihi, quia adjicit Jehova mœrorem dolori meo, laboro in gemitu meo, & quietem non invenio II. Lacrymæ, in quas fermè se resolutum esse duobus locutionibus hyperbolicis declarat, cum priori tantam earum se profudisse dicat copiam, ut fecerit lectum suum natare, quod porro amplificat notatione temporis adjecta, per totam noctem. Posteriori vero ipsam spondam, quæ plerumq; ex duriori ligno facta est, se liquefeciisse ac macerasse asseverat. יָגַע. Κοπάω.

Vers. 8.] III. Faciei deformitas; Illa enim in doloribus ingentibus omnem suam amittit speciem & decorem, ut rugas contrahat, more eorum, qui consenuerunt: quæ duo sibi quoq; ex tristitia diuturna contigisse psaltes conqueritur, dum ait: Oculus meus, per quem synecdochicè totam faciem intelligit, depastus, seu potus corrosus est, velut à tinea (quæ ab hac radice עָשַׁשׁ corrodere, hebræis עָשׁ dicitur) ita ut contabuerit prorsus præ indignatione, qua detestor, cum peccata mea horum malorum causam, tum inimicorum meorum malitiam qui me immerentem ludificant & affligunt, & propter oppressores ac angustatores meos (hebraicè צוֹרְרַי de qua voce Ps. 5, 9. & 3, 2. de particula ב quam hoc loco propter vertimus, supra Ps. 5, 11) consenuit, amisso nitore pristino, rugas & senium turpe subito contraxit: cum ita natura sit comparatum, ut caloris humidi & naturalis defectu exsuccum corpus contabescat: & quia in quovis gravi mœrore corpus & ossa exsiccantur Prov. 17, 23. dolor quoquè se prodit in

vultu dum deformatur, multo magis, si quem Deus reprehensionibus pro iniquitate castigat, dissolvit tanquam tineam omne, quod adest ei desiderabile Ps. 39,12.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 1.] *I. de usu musices, quæ est donum Dei ad tristitiam depellendam idoneum Prov. 25,20. Sir. 32,3. 4. & 49,2. II. De varijs instrumentis musicis, quæ recensentur maximam partem Psal. 150. & quorum inventor autorq; primus est Jubal filius Lamechi Gen. 4,21. quod ad profanum eorum usum spectat, quæ postea ad sacrum usum adhibuerunt pij Exod. 15,20. in quem nova nonnulla excogitavit David Amos 6,5.*

Ex v. 2.] I. Ad quem confugiendum sit in ærumnis videlicet Deum Joel. 2,11.13. qui eas inflixit Jer. 31. v. 18. 10. Ose. 2, 6. 7. 1. Cor. 11, 32. quibus si non adducuntur homines ad pœnitentiam, Deus conqueritur de obstinata eorum malitiâ Amos 4,6.7. Non vero convertamur ad media illicita cum Saule 1. Sam. 28. v. 7. & 31, 4. Achazia 2. Reg. 1, 2. Asa. 2. Chron. 16, 12. II. De ira Dei erga peccata Ps. 7, 12. 13. Rom. 2. 8. 9. III. De duplici Dei castigatione paterna, quæ fit ex misericordia ad salvandum contritos 2. Sam. 7, 14. & 15. Jer. 10, 24. Ps. 89,33.34. Apoc. 3, 19. & quæ fit ex ira, ad perdendum obstinatos Exod. 9, 14. 15. Ps. 118, 18.

Ex v. 3.] I. De Dei misericordia Thren. 3,22.23. 31. seqq. Ose. 11, 8. 9. Jer. 31, 20. II. De nostra miseria, in quam ob peccatum incidimus Ps. 38, 6. 7. & 39, 11. 12. Rom. 5,12. & 8, 35. 36. III. Quod Deus omnibus morbis mederi queat Gen. 20, 17. Exod. 15, 26. 2. Reg. 20. 5, & Psal. 30, 3. & 107, 20. Jer. 17, 14.

Ex v. 4.] De gravitate doloris in verâ contritione, qui ad ossa per-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729737144/phys_0146
DFG

ossa pertingit Esa. 38, 13. & animam Esa. 57. v. 15. & 66, 2.
II. De fidei constantia, cum Deus differt auxilium Ps. 27, 14. Hab. 2, 3. Luc. 21, 19.

Ex v. 5.] I. Quod omnis salutis fons sit Dei gratiosus adspectus & favor Gen. 4, 4. Exod. 2, 25. Ps. 90, 13. Luc. 22, 61.

Ex v. 6.] Quis sit finis nostri, videlicet Dei gloria Ps. 118. 17. & 26, 9. 12. Esa. 38, 20. 1. Cor. 10, 31.

Ex v. 7. 8.] De signis non simulati doloris in contritione & detestatione sui peccati, quæ ponuntur hoc loco gemitus & suspiria Ps. 38, 10. & 102, 6. Thren. 1, 8. acerbæ lacrymæ Ps. 42, 4. & 80, 6. Thren. 1, 2. 16. Matth. 26, 75. & corporis deformitas subitanea Ps. 39, 12. & 38, 5. 6. 7.

Modus implorandi auxilij divini in morbis.

Discimus, quis sit modus implorandi auxilij divini cum in alijs calamitatibus omnibus, tum inprimis, quando in morbis corporis sensu iræ Dei ob peccata nostra angimur, videlicet, ut sedulò exaggeremus Dei misericordiam & nostram miseriam, atq; ex illa veram fidem ac certam de liberatione spem, ex hac autem serium de peccatis dolorem concipiamus.

Considerentur Dei misericordia.

Misericordia Dei hic describitur, quod sit I. infinita ac immensa, ut Jehova ipse: Nam ut majestas Dei, ita etiam est ejus misericordia Sir. 2, 23. Cujus benignitas est ad cœlos, I. Infinita. *& fides usq; ad superiores nubes Ps. 36, 6. imò quàm alti sunt cœli supra terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum Ps. 103, 11. qui soli & hanc aliquo modo assequuntur & intelligunt Eph. 3, 18.* Chrysost. in proœmio priore in Esa. *Quantum scintilla ad pelagus collata, tantidem & hominis malitia, si eam comparas cum benignitate Dei, imo vero non tantidem. Pelagus enim etsi non exiguæ magnitudinis, suum tamen habet modum: Dei autem clementia nullo clauditur fine. Et hinc factum, ut pleriq; Psalmi, non solum pœnitentiales 6. 38. 102. 130. 143. verum & alij petitorij*

Jehovæ

Jehovæ nomine inchoëntur, ut hujus misericordiam ac potentiam omnibus calamitatibus tollendis parem esse cogitemus.

II. Prompta. *2. Prompta atq; parata pijs: Cum enim per aposiopesin exclamat psaltes: at* tu Jehova, quousq;? *hoc significat, cum alij ad te clamaverunt, statim erepti sunt Ps. 22, 5. 6. simulac invocaverunt te, exaudisti eos Ps. 91, 15. propinquus es omnibus invocantibus te Ps. 145. 18. Itaq; etjam festines mea causa Jehova, ne tardes Ps. 70, 2. 6.*

III. Salutifera. *3. Salutifera, quia gratiam præstat secundum benignitatem suam & amplitudinem miserationum suarum Ps. 51, 3. quia Deus noster est Deus fortis ad salutem omnimodam Psalm. 20, 21.*

IV. Ab hominibus celebranda. *4. Ab hominibus etjam in hac vita celebranda, qui propterea à Deo sunt conditi & adhuc conservantur, ut ipsum agnoscant & colant Ps. 110, 2. 3. 4. quemadmodum suo exemplo Paulus declarat Phil. 1, 24. 26. Ideoq; rogandus est Deus, ut diutius in vita nos conservet ad sui nominis gloriam à nobis quoq; propagandam Psal. 102, 25. & 79, 11. 12. & 118, 17.*

Et nostra miseria 1. ex peccato inflicta. *Miseria nostra in persona Davidis depingitur, quod sit. 1. à Deo per peccatum nobis pœnæ loco inflicta Gen. 2, 17. & 3, 16. à quo, tanquam à justo omnis mali culpæ vindice, hoc malum pœnæ proficiscitur Esa. 45, 7. Amos 3, 6. Eccl. 7, 14. qui castigat peccatores, & docet eos ex suâ lege Ps. 94, 12. Quisquis itaq; ab hac liberari cupit, de peccato tollendo sit omnium primo sollicitus. Beatus enim est levatus à defectione, & cujus tectum est peccatum Ps. 32, 1. 2.*

2. Magna. *2. Magna, quippe quæ est animæ & corporis: In animæ intellectus cæcitas, voluntatis depravatio & aversio à bono: In corpore omnis generis morbi, vitia, defectus, ut alibi latius ex scriptura ostenditur.* Chemnit. p. 1. L. C. l. 6. c. 5. & p. 1. Exam. Conc. Trid. loco septimo.

3. Diutur-

3. Diuturna, imo, nisi liberemur à Deo, sempiterna seu æterna. 3. Diuturna.

4. Serijs gemitibus ac lacrymis deploranda; Quæ omnia quia sæpius recurrunt in sequentibus, eò reservari possunt. 4. deploranda;

PARS POSTERIOR.

Vers. 9.] QVemadmodum in parte hujus Psalmi priore contritionis natura propriè descripta est: Ita in hac posteriori fidei præcipua proprietas declaratur, quæ est credere in spem contra spem Rom. 4,18. & in omnibus afflictionibus amplius quam victorem evadere Rom 8, 35. 37. Cum enim Davidi exterius pugnæ, intus pavores occurrebant 2. Cor. 7, 5. unde adeo miserè ejulabatur, statim fiducia in Deum se erigens, quasi jam plenè ab omnibus suis malis esset liberatus & contra hostes suos gloriosè se effert: Vos, inquit, putabatis me ex morbo haud convaliturum Ps. 41, 6. Ecce, Deus mei misertus, spem meam non confudit: Vestram autem frustratus est; in vivis me conservat, in regno me confirmat: Recedite igitur à me omnes operatores iniquitatis: (Hebraicè פֹּעֲלֵי אָוֶן suprà Ps. 5, 6. & in quæstione ibid. tractata) qui ex mera malitia & contra rectæ rationis conscientiæq; dictamen mihi malè vultis, inq; meam perniciem omnia mala machinamini: Recedite à me, quotquot estis, spe vestra delusi, neq; mihi amplius insultate, quasi non sit ulla salus in Deo Ps. 3, 3. quia Jehova audivit vocem fletus mei, & lacrymis meis largiter ac sæpè profusis, supra v. 7. 8. commotus dare constituit, quod petij, Psal. 3, 5. בְּכִי nam q; cum fletu oravit, significat Hos 12, 4 Jud. 20, 23. Unde hoc loco nomen derivatum בְּכִי orationem denotat, quæ cum gemitu & lacrymis profertur, in qua significatione etjam græcum δάκρυον occurrit in N. T. Act. 20, 31. Ebr. 5, 7. & 12, 17. 2. Tim. 1, 4. בְּכִי.

Vers.10.] Exaudivit Jehova deprecationem meam, *qua ut à malo me liberet, ac suam gratiam, cumq; eâ omne*
תְּחִנָּתִי. *bonum præstaret, rogavi*, תְּחִנָּתִי *enim orationem pro gratia, qua indigemus (unde in Novo Testamento* δέησις ἀπὸ τῦ δεῖσθαι *dicitur) tam privativa, quam positiva fusam notat, derivatâ à radice* חָנַן *gratiam præstitit, de qua supra versu 3. ad quem hac voce respicit.* Jehova suscepit, *acceptamq; habet* supplicationem meam *per mediatorem factam (de voce* תְּפִלָּתִי *vide supra Ps. 4, 1. quæ propriè græcè* ἱκετηρία *dicitur Ebr. 5, 7.* ἀπὸ τῦ ἱκέτυ *id est, supplice intercessore, qui nobis est Christus, cujus faciem quia nunquam aversatur Deus Pater Ps. 132, 10. & 84, 10. Joh. 12, 22. 41 47. de exauditione jam adeò certus sum, ut posthac etjam sperem statutum iri o-rationem meam ut suffitum, elationemq; manuum mearum ut munus vespertinum Ps. 141, 2 Id quod verbum* יִקַּח *futuri temporis, præteritis subjunctum innuit: Per metalepsin vero*
לָקַח. *hoc loco non simpliciter accipere, sed cum approbatione acceptum habere notat ut Mal. 2, 13 Gen 33, 10 1. Sam. 2 15.*
δέχομαι. *Eodem modo apud Græcos verbum* δέχομαι *aliquando significat approbo Act. 8, 10. & 11, 1. Unde est* δεκτὸς, *id est, gratus & acceptus Act. 10, v. 15. 2. Cor. 6, 2.*

Vers. 11.] Erubescent *igitur* omnes inimici mei *qui mihi malè volunt, optatis suis non potientur, nec, quod moliuntur, ipsis ex animi sui sententia succedet negotium: quin potius mutatione jam facta, non ego amplius conturbabor corpore & animo, supra v. 3 & 4 sed isti* conturbabuntur valde *Jer 17, 18. neq; semel tantum, sed* iterum, *etjam atq; etjam, multis vicibus conturbabuntur: Et ne spacium ipsis sit, quo se recolligant, conturbabuntur* momento, *cum maximè securi sunt.*
בּוֹשׁ. *Ubi 1. notanda est verbi* בּוֹשׁ *emphasis, quod hebræis sæpe est erubescere & pudefieri, propterea, quod non consequatur quis*

optata,

optata Prov. 12, 3. & 10, 5. & 14, 15. & Pſ. 25, 23. Atq; hoc modo Rom. 5, 5. ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει ex hoc hebraiſmo dicitur, id eſt, non fallit ſperantem Phil. 1, 20. Aliàs communiter ſignificat, propter delictum admiſſum erubeſcere, qua de cauſa nonnulli vocabulum germanicum Büſſe deducere inde conantur.

II. Peculiaris verbi שׁוּב conſtructio. Cum enim verbum apud hebræos ſine copula alteri verbo præfigitur, plerumq; adverbialiter accipiendum eſt: ſic hoc loco revertentur, erubeſcent, id eſt, iterum ſeu amplius erubeſcent: ſic Pſ. 71, 20. & 85, 7 Ezech. 8, 6. 13. 15. Unde Chaldæus & Syrus, qui vertunt שׁ in ת, תּוּב πάλιν ſignificat Matt. 4, 7. 8. Vide Buxt. p. 461. 462. שׁוּב cum alio verbo junctum.

III. Vocis רֶגַע derivatio & uſus. Derivatur à Radice רָגַע diſrupit, fidit, quod in Hiphil, quievit, quietum reddidit ſignificat. Unde intelligimus, ſignificari hac voce fragmentum temporis minutiſſimum, quod latinis dicitur momentum, & quidem illud, cum maxima adeſt ſecuritas, qualem circa extremum judicium, in momento ſuperventurum, futuram prædixit Chriſtus Matt. 24. v. 44. 1. Theſ. 5, 2. 2. Pet. 3, 4. 10, unde illam non male ex Apoſtolo vertimus 1. Cor. 15, 51. ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, & pſalten hac voce, ſicut & repetitione ejusdem verbi יבשׁו ad extremum judicium alludere, non improbabiliter concludimus, præſertim cum verba verſus 9, quæ cum his cohærent à ſe in extremo judicio uſurpatum iri, Chriſtus aſſerat Matt. 7, 23. & Luc. 13, 27. רֶגַע.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v. 9] 1. de averſando & fugiendo malorum conſortio ſupra Pſ. 1, 1. & 50, 18. & 101, 3. ſeqq. & 139, 21. 22.

21. 22. 1. Cor. 5. 9. 2. Cor. 6, 14. Apoc. 18, 4. II. de promptitudine Dei in exaudiendis piorum precibus supra Psalm. 4, 1.

Ex v. 10.] De fidelitate mediatoris nostri semper pro nobis apud æternum patrem intercedentis Rom. 8, 34. Heb. 7, 24. & 9, 24. 1. Joh. 2, 1. per quem solum ad patrem pervenire Joh. 14, 6. &, quod petimus, impetrare possumus Jer. 30, 21. Joh. 16, 23. per quem nostra sacrificia precum & laudis per se impura patri placent 1. Pet. 2, 5.

Ex v. 11.] I. De confusione faciei & perturbatione impijs non conversis in hac & futura vita metuenda Ps 25, 3. & 70, 3. 4. & 83, 18. Sap. 5, 2. 1. Joh. 2, 28. II. De impiorum exitio inopinato, ut tempore diluvij Gen. 7. excidij Sodomorum Gen 19. sic etjam extremi judicij Matt. 24, 39, 2. Pet. 3. 10. 1. Thessal. 5, 2. 3.

Deus malis afficit & bonis reficit.

Discimus, quod ubi desperata videtur piorum salus, repente à Deo liberentur; qui propterea distulit auxilium ut tantò illustrior foret liberatio Dan. 3, 28. & 6, 23 24. Ideoquè morte afficit, ut vitam restituat, deducit in infernum ut reducat, depauperat, ut ditet: deprimit, ut extollat 1. Sam 2, 6. 7. Quemadmodum ostendunt exempla Hiskiæ Esa. 38, 1. & 5. Davidis Ps. 18, 5. 6. Jobi Job. 1, 21 & 42, 20. 21. Josephi Gen. 39, 1. 20. & 41, 20. Et ut verbo dicam, quem Deus in æternum vult exhilarare, in hac vita tristitia afficit 1. Pet. 5, 10. quem bonis vult sempiternis donare, malis aliquamdiu adfligit Luc. 16, 21. seqq. 2. Thess. 1, 7. 10. Unde in pijs oritur illa carnis & Spiritus luctæ species, quæ de gratia Dei & favore erga nos in ærumnis dubitare etjam pios quandoq; facit, ubi ut graviter scribit Luth. t. 2. Jen. in hunc Psalmum: Amor cum odio, spes cum desperatione, misericordia cum ira, laus cum blasphemiâ, perseverantia cum fuga. Breviter: Cœlum

Cœlum cum inferno, durissimè, acerrimè, exquisitissimè pugnat, in quâ fides nostra vincit 1. Joh. 5, 4. quæ non respicit ea, quæ apparent 2 Cor. c 4, 18 sed sua fiducia, qua, quæ Deus promisit, posse eum præstare, sibi certò persuasit Rom. 4, 21. facit ut jam extent quæ sperantur, & res demonstrat quæ non cernuntur Hebr. 11, 1.

Q. An mortui prorsus non laudent Deum.

Q. Quod quæri ex v. 6. poterat, quam rectè colligant nonnulli ex eò, hominem non tantum corpore sed etjam anima mori, cum mortuo omnis laudandi Deum facultas adimi videatur, ad id ex superioribus in analysi dictis facile potest responderi. Cum enim Propheta non de eo, quid Spiritus à mortali corpore solutus in altero seculo faciat vel non faciat, agat, sed tantum dicat, quid homo mortuus in hac vita inter Ecclesiæ militantis membra facere nequeat, ipse tamen adhuc facere cupiat, patet ab illis committi fallacium à dicto s. q. a. d. s. Vide & confer cum h. l. Eccl 12, 7 Sap. 3, 1. Apoc 7. 14 seq & 14, 13. Ex quibus locis pluribus hic unus potius est explicandus, (ut jubet Tertullian. lib. adversus Praxeam*) quàm ex hoc malè intellecto illi omnes torquendi.*

ENARRATIO PSALMI SEPTIMI.

שִׁגָּיוֹן. qnid notet. 1. sententia.

TItulus Psalmi hujus tria complectitur 1. Genus scriptionis Psalmi, quod indicatur voce שִׁגָּיוֹן, de qua variæ extant interpretum sententiæ. Primum nonnulli vertunt suavitatem vel oblectationem, respicientes ad illud Prov. 5, 19. תִּשְׁגֶּה oblectabis te, quod tamen in propriâ significatione bene potest accipi (q. d. in amore tuæ uxoris oberrato jugiter, omnisq; generis delicias ex illa, vel ab illa exspecta potius, quam ut aberres ad illicitum amorem extraneæ te conferens) quin etjam argumentũ tituli & Psalmi reclamat, in quibus nihil minus quàm

2. oblectamentum continetur. Secundo, alij exponunt instrumentum musicum, in quo oberretur digitis hinc inde dum pulsatur. Sed ut taceam, quod tum nimis generale esset nomen, quippe quod omnibus φιλαφήτοις congrueret, & cum voce נְגִינָה ferè coincideret Ps. 4, 1. ex etymo refutantur:

שָׁגָה erravit per ignorantiam. שָׁגָה enim, unde derivant hoc nomen, perignorantiam errare notat, quum natura dictitet, illum qui pulsat chordas digitis, vel his in instrumento musico quoquo modo discurrit, artis habitu certo dirigi, nec nisi volentem & scientem rectè eo canere posse, ut nullo modo perignorantiam errare

3. dici queat III. Quidam hac voce denotari volunt professionem innocentiæ Davidis, cum sit שִׁגָּיוֹן, quicquid hactenus David admiserit, hoc est, peccatum per ignorantiam commissum, ideoq;

ideoq; apud æquos rerum æstimatores facilè veniam mereatur. Licet vero argumentum Psalmi huic explicationi favere videatur: tamen cum sit nimis longè petita derivatio, contra morem titulorum & constructionis ejus, quæ hoc loco occurrit, introducta, nec facile cum loco cognato Habac. 3, 1 conciliari queat (salvo melius sententium judicio) relinquenda videtur. IV. sunt qui existimant, quemadmodum in Psalmi præcedentis sexti titulo certa instrumentorum musicorum designata fuit species, quibus iste decantaretur Psalmus, ita hac voce in hoc titulo notari hujus Psalmi decantationem non esse certo instrumenti musici generi assignatam, sed eum pro re nata, modo illo, atq; ita omnibus decantari rectè posse, quæ sententia admitti posset, nisi constructio obstaret: Nullibi enim in titulo Psalmorum instrumentum musicum Davidis poni novimus V. Igitur statuunt alij, ideo dici oden erraticam, id est, multiplicem cantu, quod omnibus rationibus musicæ, tam vocalis, quàm instrumentalis decantata sit simul, & ut græci dicunt, ἐν συωδίᾳ. Sed nec versimile est, Davidem solum vel omnibus musicis instrumentis simul, vel etiam successivè hunc Psalmum cecinisse ut titulus innuit, & quidem in exilio, ut ex argumento Psalmi colligi potest. Prætereo, quod sola voce articulata sua David hunc Psalmum cecinisse expressè dicatur. VI. Nonnulli in ea sunt opinione, ut putent, vocem שִׁגָּיוֹן esse initium alicujus vulgaris cantilenæ, ad cujus modulos decantatus fuerit hic Psalmus. Sed præterquam quod hoc caret ratione & exemplo, nomen Davidis adjectum id refutat. Restat itaq; Septima eorum opinio, qui putant notari hac voce oden erraticam, quæ non uno tantum, aut altero certo metrorum genere, sed ex variè intercurrentibus constat, unde quibus illa carminis ratio fuit minus cognita, in ea erratum fuisse, facilè sibi in animum induxerunt, quemadmodum ex vul-

4. 5. 6. 7.

Numeri lege soluti, vel innumeri.

ex vulgi opinione de Pindaro dicebat Horatius, *illum numeris ferri lege solutis, quos eadem de causa numeros innumeros vocabat* Ausonius: *Et hæc sententia omnium videtur simplicissima, præsertim cum derivationi vocis optimè respondeat: & ex loco Hab. 3. 1 lucem accipiat Quid enim est ibi* עַל־שִׁגְיוֹנוֹת *nisi secundum vel juxta odas erraticas seu mixtas? ex quarum genere illud Prophetæ Habacuc canticum esse, facile ex inæqualitate versuum liquet. Quin etjam inde probatur, quod cum præcedentia capita duo soluta conscripta sint oratione, hoc tertium ligata, tanquam oda sacra, à Propheta cantatum esse innuat hic ipse titulus. Erraat itaq;* Bellarminus *in commentario in hunc locum, quum scribit, quod propriè ignorantiam significet, cum potius errorem admissum notet, qui illius consequens esse solet.*

Quis Cuschi Benjaminita. I.

II. Nomen autoris secundarij, qui fuit David, *componens &* canens *voce sua articulata hunc Psalmum, ut verbum* שִׁיר *indicat. III. Occasionem, quâ scilicet adductus Psalmũ hunc fecerit David, continetur illa verbis sequentibus:* propter verba Cuschi Benjaminitæ. *De quibus etjam discrepant interpretes:* Basilius M. *(quemadmodum & alij Patres hebrææ linguæ ignari) Chusajum Arachiten Davidis amicum certissimum intelligunt, de quo 2. Sam. 15, 32. & duo posteriora verba* בֶּן־יְמִינִי *accipiunt appellativè, quasi diceretur:* Filius dexteræ meæ, *quo tanquam scipione niti possit. Sed primum obstat, quod ille in lingua hebræa vocetur* חוּשַׁי, *hic vero, cujus hoc loco fit mentio* כּוּשׁ, *quæ duo sunt diversa nomina. Deinde pronomen affixum primæ personæ non satis apte referri potest ad nomen Davidis præcedens, quod est tertiæ. Adde quod argumento Psalmi hoc non satis conveniat, quippe in quo David non laudat amici benevolentiam, qualis ipsi à Cusajo Arachite est præstita, sed potius refellit inimici* כּוּשׁ *ca-*

כוש calumniam. Alij putant כוש (quæ vox propriè accepta significat Æthiopem ita dictum à filio Chami Chuſch, de quo Gen. 10, 6.) eſſe nomen cujusdam hominis ex comitatu Saulis, qui Davidem apud Regem calumniatus ſit, & gravis alicujus criminis falsò inſimulaverit, cujusmodi eſt illud, quod inficiatur David 1. Sam. 24, 10. Sed quia nullibi in ſacris literis & Davidis hiſtoria ejus expreſſa fit mentio, Alij potius per ἀντονομασίαν malum & improbum hominem deſignari ſtatuunt, vel quod abſentem qui rodit amicum, hic niger eſt, minus candidus & velut æthiops, vel quod non facile ad frugem redeat, nec mores deponat obtrectator, ſicut colorem non mutat æthiops Jer. 13, 23. Horum nonnulli argumentum Pſalmi & quod Benjaminita dicitur, conſiderantes exiſtimant, occaſionem huic Pſalmo dediſſe verba maledica Simei, quibus improbè in Davidem metu Abſolonis filij fugientem invehitur 2. Sam. 16, 5. ſeqq qui fuit filius Geræ Benjaminitæ 2. Sam. 19, 7. Nonnulli vero cum Heronymo & Chaldæo paraphraſte Saulem ipſum intelligunt, qui etiam fuit Benjaminita 1. Sam. 9, 1. 21. & male de Davide loquebatur, quaſi inſidias vitæ regis ſtrueret 1. Sam. 22, 7. 8. quod crimen objectum hoc Pſalmo diluit Propheta regius. Et hæc ſententia videtur maximè probabilis. 1. quia Saul quæſivit Davidis animam, eumq; perſecutus eſt, ut leo immanis v. 5. Imo Saulem anguſtantem ſe immerito ex comitum manu David eripuit v. 5. quorum nullum de Simei legimus. Accedit, quod Saulis tempore melius poterat David de innocentia ſua gloriari apud homines v. 4. 5. quàm cum regno excuſſus ab Abſolone fugeret, jamq; adulterium ac homicidium commiſiſſet v. 9. Denique quam mortem violentam Davidi Saul intentabat, ea ipſe perijt, atq; ita malum in autorem ſuum redijt, quod hic vaticinatur pſaltes v. 16. 17. Hieronymus inde conatur oſten-

2.

3.

4.

5.

dere hunc Psalmum non pertinere ad illam Davidis calamitatem, quâ affligebatur regno ab Absolone exutus, quod non sit verisimile Davidem filium suum vocasse leonem, cum tamen v. 2. hoc epitheto eum perstringat, contra quem suam declarat innocentiam, id quod in medio relinquimus.

Argumentum. Argumentum *Psalmi est: David iniquè accusatus, à Deo se liberari petit, cum ille innocentiæ ipsius sit quam optimè conscius, eamq; declarare aliis suo judicio possit, qui est justitiæ defensor fortissimus, & mendaciorum & scelerum vindex accerrimus. In fine itaq; de exauditione certus, hostes monet ut resipiscant, periculumq; imminens evitent: Ipse vero Deo pro clementi auxilio gratias agit.* Usus. Usus *est, ut calumnijs pressi iniquis, testem Deum invocemus, ut is ex officio justè judicet, & nostræ innocentiæ testimonium perhibeat, hostes convertat, atq; hæc omnia ad sui nominis gloriam præstet.*

Ἀνάλυσις. Partes *Psalmi sunt* duæ: Petitio & gratiarum actio.

Partes duæ. 1. Petitio. Petitionis *sunt duo præcipua membra*: Propositio & confirmatio: Illa *primum nudè proponitur v. 2. Deus mi, salvum me fac ab omnibus persequentibus me, & libera me. Deinde repetitur & amplificatur per* Ἐπιμονὴν *v. 7. Surge Jehova, extolle te: Vigila super me.* 2. Hæc *argumenta continet & causas, cur Deus liberationem supplici præstare teneatur, desumptas à persona 1. Dei. 2. supplicis. 3. hostium. 4. piorum.* A persona Dei *ita concludit I. ab essentia, quia Jehova es v. 2. 7. II. fœdere gratioso: quia es Deus meus v. 2. 4. III. ab officio, quia non est alius liberator v. 3. quia tu es judex v. 7. 8. 9. IV. ab attributis propriis, veritate promissionis v. 7. justitia retributionis v. 9. qua salvat rectos corde v. 11. comminatur improbis v. 12. eosq; nisi convertantur, perdit, quod ex effectu probatur dupliciter 1. figuratè, triplici similitudine*

tudine (α) *militiæ v. 13. 14.* (β) *partus v. 15.* (γ) *foveæ v. 16. Et II. propriè v. 17. 1. Omniscientia v. 10.*

A persona supplicis *hæ deducuntur causæ 1. quia in Deo confidit v. 2. II. quia est innocens, quod probat invocatione Dei, tanquam testis integritatis suæ, quod ad crimen objectum v. 4. & 5. & confidenti imprecatione pœnæ gravissimæ, si falsum dicat v. 6. Deniq; explicatione justitiæ suæ v. 9.*

A persona hostium *argumentatur hoc modo I. quia sunt multi v. 2. II. quia sunt valdè crudeles, ut leo v. 3. III. quia non sunt læsi à supplice v. 5. IV. Contra hunc gravissimè furunt v. 7. V. sunt improbi, v. 10.*

A persona piorum *unicum argumentum desumitur; quia illi ob liberationem pij Davidis, & vindictam de malis ipsius hostibus sumptam lætabuntur v. 8.*

Gratiarum actio *ultimo versu continetur: Ego liberatus ab omnibus persequentibus me, celebrabo Jehovam. v. 18.* II. Gratiarum actio.

PARS PRIOR.

Vers. 2.] PRopositio petitionis duo continet 1. à quo. 2 quid petat. Quod ad prius membrum usitata figura exclamationis ornatum, eum nomine suo proprio appellat, ad quem dirigitur, nempe Jehovam, *qui, ut ipse est à seipso ab æterno, ita in tempore reliquis creaturis non tantum dedit, ut essent, sed etjamnum earum clementem & planè paternam gerit curam, ut benè esse & subsistere queant, unde ab* הָוָה *sive* הָיָה *id est, fuit, derivari creditur. supra Ps. 1, 2. & 3, 2.*

Quia vero ad Deum absolutum (ut scribit Lutherus) nobis non patet aditus precaturis, quippe qui est justitia ipsa & ignis consumens, fortis Zelotes Deut. 4, 24. Exod. 20, 5. aliud nomen, officij videlicet, psaltes subjicit, nempe אֱלֹהִים *supra Psal. 4, 2. Hunc igitur* Judicem *ut sibi benevolum reddat,*

gratioſi fœderis ſecum in circumſione initi eum admonet, dum ait; Deus mi. *Atq; ita non tantum à natura, majeſtate & potentia Dei, quæ omnia ſuſtentat generaliter, ſed potiſſimum à miſericordia ſibi in fœdere promiſſa peculiariter Gen. 17, 7. atq; ita quod poſſit & velit ipſi ſuccurrere, argumentatur. Sic ſupra Pſ. 3, 8. & 4, 2. & 5, 3. Cum enim Deus tantum in fide orantes exaudiat Marc. 11, 24. hæc autem tantum nitatur verbo Pſ. 2, 7. 8. & ſibi in individuo generales promiſſiones applicet Gal. 2, 20. Rom. 11, 1. merito hic David non vocat Deum judicem mundi, ſed vindicem & aſſertorem ſuæ innocentiæ, in quâ demonſtranda in toto Pſalmo laborat. Unde etjam convenienter ſtatim ſuam in hoc fœdere ſervando fidelitatem ſubjunxit, cum inquit:* Ad Te, *tanquam in locum tutum & velut ſub umbram alarum tuarum* me *in omnibus meis periculis* recepi, *te ſolo confiſus & nixus ut pulli ſub alis matrum ſuarum Deut. 32, 11. 12. Vide Pſal. 2, 12. & 5, 12. Et quia reliqui amici fere omnes me relinquunt, ego autem abs te ſolo pendeam, tuum erit clientem tuum in his anguſtijs haud deſerere.*

Poſterius membrum eſt duplex, cum primum in genere ſalutem, in ſpecie liberationem à perſecutionibus petit, eoq; ipſo ſuam ipſius infirmitatem, atq; ex hoſtium manu evadendi impotentiam confitetur: ſiquidem ut Baſilius M. *in hunc locum ſcribit: ſalute propriè infirmi indigent: liberatione vero in captivitate detenti* σωτηρίας μὲν οἱ ἀσθενοῦντες χρήζουσι, τῆς δὲ ῥύσεως οἱ ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ κατεχόμενοι. *Quanquam aliàs utrumq; vocabulum ſæpius plura ſignificet:* Salvare *namq; tum Deus dicitur, & quum à malo liberat, & quum bonum largitur vide ſupra Pſ. 3, 8. & 6, 5.* Eripere *vero cum ex quocunq; periculo vel malo liberat. Ubi tamen notanda eſt emphaſis verbi* הַצִּילֵנִי *id eſt, eripuit defendendo, contra oppreſſorem*

Salvat Deus.

Et eripit.

הַצִּילֵנִי.

preſſorem prævalentem, ejus potentiam retundendo, unde plerumq; adjectum habet מִיַּד *id eſt, ex manu & poteſtate Gen. 32, 11. Exod. 2, 19. Eſt ergo propriè liberavit à potentiore oppreſſum vide v. 3. licet ſæpius cum cognatis verbis ab interpretibus confundatur: qualia ſunt* חָלַץ *id eſt, expedivit* חָלַץ. *vinctum, vel quoquo modo irretitum aut detentum Pſ. 18, 20.* גָּאַל *vindicavit in libertatem priſtinam ex jure cognationis Lev. 25, 25. Ruth 4, 4.* פָּדָה *redemit captivum precio (non vi) Unde quod græcis* λύτρον, *hebræi* פִּדְיוֹן *nominant Exod. 21, 30.* פָּלַט *evadere fecit, quod germani dicerent* Er hat jhm darvon geholffen *Pſ. 22, 5. 9. & 91, 14. Cui fere reſpondet* מָלַט *evaſit, ſalutem fuga ſibi quæſivit* (Er iſt außgeriſſen) *Unde qui reliquis inprælio cadentibus pedibus confiſus fuga vitæ ſuæ conſuluit & ſalvus evaſit* פָּלִיט *dicitur Gen. 14, 13, Cum igitur Saul, ejusq; ſatellites longè eſſent Davide potentiores, eum facilè opprimere potuiſſent, meritò à Deo, potentiori armato, ſe eripi poſtulat.*

חָלַץ. גָּאַל. פָּדָה. פָּלַט. פָּלִיט.

Amplificat hanc ſuam petitionem ab hoſtium numero & obſtinato ipſi nocendi ſtudio, cum ait, ab omnibus *quorum alij armis & marte aperto 1. Sam. 23, 8. & 25. & c. 24, 3. alij inſidijs 1. Sam. 18, 17. 20. Alij maledictione & calumnijs me petunt 1. Sam. 23, 19. & 24. 10. & 26, 1. Et cum ipſis cedo, fuga ſalutem quæſiturus, ipſi me* perſequuntur, *quocunq; me convertero, ut planè è medio me tollant. Atq; ita hoc loco vocabulum* μέσον רָדַף *quod tam in bonum ex amore Hoſ. 2, 7. quam malum, ex odio perſequi notat Pſ. 18, 38. in malam partem accipitur.*

רָדַף.

Verſ. 3.] Neq; etjam hic negligendum eſt affixum, quod innuit, quam injuſtè ipſum perſequantur, à quo nunquam ſunt læſi. q. d. hoc cum te haud lateat, tu itaque juſte Deus, nunquam committes, ut ipſorum libidini exponar, ne quando, *quæ*

do, *qui est inter meos hostes princeps, Saul, rex ipse* abripiat *& dilaceret* tanquam leo *(cui crudelitate & potentia similis est Genes. 49, 9. Ps. 10, 9. & 17, 12. & 22, 22. 2. Tim. 4, 17.)* animam meam *id est, me ipsum totum: Quemadmodum aliàs sæpè per Synecdoch. partis pro toto homine ponitur ut Ps. 6, 5. (Unde etiam factum, ut anima Dei, pro ipso Deo, qui est simplicissimus Spiritus usurpetur Lev. 26, 11. 30. Esa. 1, 14. Ebr. 10, 38.) licet ad corpus propriè tantum possint referri*

טָרַף. פָּרַק.

verba duo adjuncta טָרַף *id est, raptum discerpsit dentibus more ferarum, Nahum 2, 12. &* פָּרַק *disrupit seu dilaceravit, quod vel natura vel arte fuit arctissimè copulatum & veluti coagmentatum 1. Reg. 19, 11. Genes. 27, 40.*

אַרְיֵה.

Notandum vero, quod hic habeatur in textu אַרְיֵה *qui propriè leo major est, in ipso ætatis flore & ἀκμῇ constitutus, à carpenda præda sic dictus, cum* אָרַה *significet carpsit, quomodo à reliquis nominibus hebræis, quibus leo denotatur differre creditur, quæ* Drusius lib. 10. observ. c. 4. *secundum ætates distinguit hoc modo* גּוּר אַרְיֵה *est* σκύμνος ἢ λεοντιδεὺς *catulus leonis, adhuc in lustris commorans* גּוּר *enim commorari significat* כְּפִיר λεοντίσκος, *leo junior* אַרְיֵה & אֲרִי λέων, *leo robustus* לָבִיא *græcè* χάρων *leo provectior & immanis, cordatus: Unde nonnulli à* לֵב *id est, corde ei hoc nomen contigisse putant.* לַיִשׁ *græcè* λὶς *leo annosior* שַׁחַל *nomen generale, leo ferox. Cum igitur à tam robusto leone, cui in me resistendi nulla facultas, invadar, juva me Deus animarum pastor, ne miserrimè discerpar ovis tua, ne in Saulis manus deveniam, quod certè futurum est, si* nemo fuerit, qui me eripiat, *manuq; potenti contra hostis tam potentis violentiam defendat. Nam quando à privatis hominibus quis læditur, potest spe liberationis ad magistratum suum confugere: Jam vero cum me rex ipse persequatur, quis erit, qui me liberet ab eo, nisi tu*

כְּפִיר. לָבִיא. לַיִשׁ. שַׁחַל.

גּוּר אַרְיֵה.

nisi tu, per quem ille regnum & potentiam hanc adeptus est, qui stas in cœtu judicum, & inter magistratus judicas Ps. 82, 1.

Vers. 4.] Huic petitioni purgationem subjicit, qua inficiatur crimen objectum à Saule, & quia, quem suæ innocentiæ testem invocare posset, non habebat, ad Dei omniscij testimonium provocat: Jehova, *inquit,* Deus mi, *in quo ego solo confido, supra v. 2. tuum est innocentes calumnijs oppressos liberare, tibiq; optimè jam de mea, quod ad hanc causam, innocentia constat, age judicio tuo alijs eandem declara, profer tandem in lucem justitiam meam, & jus meũ tanquam meridiem Ps. 37, 6. Tam certus enim ipse sum, nihil quicquam eorum me admisisse, quorum isti falsò me insimulant, ut non verear (à quo tamen abhorret natura) mihi imprecari malum.* Si feci istud, *si malis artibus regnum invadere volui 1. Sam. 20, 30. & 22, 8. 13. & 24, 10,* Si est iniquitas in manibus meis, *hoc est, si unquam molitus sum (german. Für die Hand genommen) quod isti à me perpetratum calumniantur, & si quãdo animum meum ex infirmitate humana subijt, ut Sauli nocerem, in eo consilio acquievi, ad factum processi & pertinaciter istud malum consilium fovi. hoc enim notat vox hebræa* כַּף *quæ propriè curvaturam manus seu volam significat, derivata à R.* כָּפַף *id est, incurvavit, quemadmodum si quid firmiter sumus apprehensuri & retenturi, manum curvamus & claudimus. Alij per manus metonymicè opera manu peracta intelligunt, & quænam ea sint ex historia, quæ exstat 1. Sam. 24, 12 & 26, 8. cognosci volunt, Unde merito in hac re gloriari poterat, se levare manus suas in innocentia Ps. 26, 6. Alij per manus synecdochicè totum hominem intelligunt, ut sit sensus: si est in me iniquitas, quod nisi de scelere & flagitio interpreteris, Davidi vix conveniet de se affirmare, quippe qui non erat ἀναμάρτητος. Prima tamen explicatio simplicissima &* כַּף.

sima &

sima & huic loco quam maximè accommodata est, ut ex antecedentium & consequentium collatione apparet.

Vers. 5.] *Quod vero quis objicere poterat, fortè vindictæ cupiditate victus David, multis à Saule injurijs affectus par pari retulit, per anticipationem ex contrario hoc ipsum refutat: Tantum abest, inquit, ut* intulerim malum, colenti pacem mecum, *atq; ita malum pro bono unquam retulerim, utpotius bonum pro malo reddiderim, atq; illum*, qui me sine causa *immeritoq;* opprimebat *ac angustabat, ex periculis* eripuerim.

שָׁלֵם. *Hic enim verus hujus versiculi sensus est, quem vulgata versio, ex græca vitiosa valde obscuravit. Ut enim taceam quod* שָׁלֵם *in Kal (ex qua conjugatione hic occurrit) nunquam retribuere, sed pacificium esse significet, & hoc loco elliptice construatur, sicut in Pihel 1. Sam. 24, 20. ut sit* שִׁלְּמִי *pro* עִמִּי Buxtorff. thes. p. 487. & 488. *Illud planè ferendum non est, quod verbum* חָלַץ *vertit decidere.* חַלַּץ. *Et adverbium* רֵיקָם *in nomen convertit, cum nulla nominum forma talis apud hebræos inveniatur, in quibus à fine sit* ם *hecmanticum præcedente Kametz, ut inductione similium dictionum liquet.* רֵיקָם.

Nam quod צוֹרְרִי *Benoni K. singulare cum assixo in nomen plurale transmutat, & nimis generali voce inimici interpretatur more suo facit. Risu itaq; potius quàm refutatione dignus est* Bellarminus, *dum hæc etjam glossis suis tueri & explicare conatur, quasi hic sit sensus: Decidam ab inimicis meis inanis, id est, cadam in prælio sine ulla gloria militari, cum* חָלַץ *in Piel non sit neutrũ, nec præpositio ulla in hebræo textu appareat, nec ipsa hæc locutio satis sit latina vel perspicua. Non parum verò lucis accedet huic versioni, si Vau h. l. conversivum pro corrigendi particula accipias, ut Gen 42.* ו corrigendi particula.

10. hoc

10. hoc modo: si intuli malum colenti pacem mecum, quin potius eripui ex malo angustantem me immerito; quæ luculenta antitheſis & urgens probandi ratio perit, ſi vel vulgati interpretis, vel aliorum verſionem ſequaris, qui explicant: Et ſi ſpoliavi inimicum meum ſine cauſâ, id eſt, non laceſſitus injurijs quaſi vel licuiſſet pio Davidi malum pro malo reddere, vel etjam libuiſſet homini tam manſueto, ſpoliare inimicum laceſſentem.

Verſ. 6.] Sequitur jam ipſa imprecatio, in qua eſt climax, qualis fere occurrit Pſalmo 18. 38. 39. & facile in hac Buchanani paraphraſi cernitur

Me perſequatur dum capiat ſequens,
Captumq; ſternat, ſtratum & humi pede
Conculcet, & ſceptri ſuperbum
Proterat, abjiciatq; faſtum.

Cujus primus gradus eſt: Inimicus conetur me occidere, omnesq; nervos ingenij intendat in meam perniciem, perſequatur *ſupra v. 2.* animam meam, *id eſt, meipſum v. 3. Secundus, comprehendat &* aſſequatur *ne evadam. eſt enim* הִשִּׂיג *attigit, aſſecutus eſt fugientem, ut manum potuerit injicere atq; ex fugâ retrahere Gen. 31, 25. & 44, 4. 6. Exod 15, 9. 1. Reg 18, 27. Tertius, Planè conterat jam comprehenſum ut vermem, &* conculcet in terra, *donec* vitam meam *auferat. Gravius enim eſt* רָמַס *conculcavit, calcando conſumpſit vel protrivit diutius inſiſtens & ſæpius eidem rei pedes ſeu calces impingens (zutretten / zerpedden) quam* דָּרַךְ *calcavit more ejus, qui incedit per viam (betretten) ſic infra v. 13. Calcavit arcum, ſtatim pedem inde referens. De emphaſi prioris vocis 2. Reg. 1, 17, 20. & 9, 33. & 14, 9. Ezech. 34, 18. Quartus, Interfecti nomen & famam exſtinguat, ut nulla amplius mei ſit apud poſteros memoria,* faciatq; ut gloria mea *quam*

הִשִּׂיג.

רָמַס.

דָּרַךְ.

mea *quam vel cæso Goliatho per te, ô Deus, consecutus sum 1. Sam. 18. vel mea fortitudine bellica, alijsq; rebus benè gestis peperi ibid. v. 16 17. 29.* in pulvere habitet *& intermortua requiescat, ut corpora sepulchro condita. Gen. 3, 19. Psal. 22, 16. Dan. 12, 2. sicut dejecta in pulverem vita dicitur, quæ propè à morte abest. Quintus: Et hæc omnia maximè mihi cõtingant, quod voce hebræa illa* סֶלָה *indicatur, de qua Psal. 3, 3.*

Vers. 7.] Purgatione hac absoluta, redit Psalmista ad petitionem suam. Cum enim Deo suam probasset innocentiam judici totius terræ, merito sibi justitiam administrari rogat: Et quia Deus hactenus sedere & quasi dormire videbatur, dum ipse justus præter jus affligebatur, petit, ut nunc tandem Deus surgat ex officio ad ferendum judicium. Surge, *inquit,* Jehova, *ad opus liberationis piorum, & vindictæ impiorum, supra Psal. 3, 8. contende adversus contendentes mecum, prehende scutum, ac surge in auxilium meum Psal. 35, 1. 2. Surge* in ira tua (*hebraicè* בְּאַפֶּךָ) *ut ex ipso tuo vultu appareat, quantopere istam inimicorum meorum detesteris injuriam: Vide supra Psal. 2, 12. & 6, 2. Et quamvis per te sis excelsus, imò altissimus Psal. 47, 3. & 113, v. 5. tamen hoc judicio ostende, te esse altum & potentem satis, quò possis violentiam hostium meorum comprimere:* Extolle Te, *in vel* contra indignationes angustantium me: *Pro quo vulgata versio habet, exaltare in finibus inimicorum meorum, non satis rectè. Nam I. verbum hebræum est quidem in Niphal, sed hoc loco significationis reciprocæ, quod genus græci vocant* ἀυτοπαθητικὸν, נָשָׂא *elatus est à seipso, id est, extulit se. Deinde nomen* עֶבְרָה *cujus plurale hoc loco extat, nunquam finem, sed semper iram, quæ modum planè excedit & limites à recta ratione præscriptos transilit, denotat. Cui favet etymon, siquidem est à* עָבַר *transijt, transgressus est.* ב *autem pro contra vel adversus*

Vulgata versio reprehenditur.

עֶבְרָה.

ב id est, contrà

adversus poni notum est, Num. 12, 1. Esa. 21, 8. ut apud latinos præpositio (in) eandem significationem habet: Vel, sicui placet, rectè vertet, propter, supra Ps. 5, 11. Deniq; quod צוֹרֵר *non inimicum, sed potius acerrimè angustantem significet, ut supra Ps. 3, 2. & 5, 9. probatum est. Sensus igitur est: Extolle te, ô Deus, supra hostes meos superbiâ elatos contra indignationes eorum injustas, justè indignare, & angustantes me immerito pro merito suo in angustias adducito.* Vigila ad me, *ad me attende meq; juva: Evigila atq; expergiscere ad judicium meum Ps. 35, 23 juxta illud judicium,* quod *exercendum* præcepisti (*ita enim supplendæ sunt hæ ellipses duæ, prior præfixi* כ *vel* כ Buxt. in thes. p. 509. *Posterior relativi in sacris literis crebræ Deut. 33, 11. Psalm. 51, 8.* Buxt. thes. p. 334. & 374. *Ita etjam* Basilius M. *explicat, & in specie de IV. præcepto accipit, quod violabat Absolon, ejiciens patrem è regno. Et satis benè, si ad historiam Davidis, quæ secuta est adulterium referimus. Cum verò videatur commodius referri ad Saulis persecutionem, explicamus hoc modo: si tu præcepisti judicibus tuis terrenis, ut liberent innocentes, multo magis teipsum, ô Deus, judicem supremum & justissimum hoc decet, ut illo judicio me immerito oppressum eripias.* Ellipsis כ & relativi.

Vers. 8.] *Idq; eò magis, quod tua gloria eo ipso valde illustratur,* ut cœtus nationum circumdet te, *ad tui cultum conveniat, tuamq; mihi declaratam misericordiam & in hostibus demonstratam justitiam celebret: Ita propter hunc cœtum tuum* in altum revertere, *& in tribunal (quod plerumq; in alto & edito loco erat 1. Reg. 10, 18.) te colloca, ad ferendam in hac mea causa sententiam, atq; ita non solum meam salutem procures, sed tuam quoq; ipsius promoveas gloriam, Ecclesiæq; salutem. Exaltare igitur Jehova robore tuo,*

ut cantemus & psallamus fortitudinem tuam Ps. 21, 14. Basilius M. *ita exponit: si hunc meum adversarium potentem & obstinatum potentia tua represseris vel perdideris, hoc uno mirabiliter punito, multi alij jam mali, & meo inimico adhærentes, ejus exemplo territi resipiscent, & ad Ecclesiæ gremium se conferent.*

Deus judex.

Vers. 9.] Porro officium Dei, quod sit judex terræ, declarat Propheta tam in thesi generatim, quod ipse Deus jus dicat omnibus populis, retribuens unicuiq; secundum opera sua v. 9. stabiliens justos v. 10. salvans rectos corde v. 11. & contra perdens malitiam improborum v. 10. detestans eam quotidiè v. 12. quàm in hypothesi, quod sit ipsi justo redditurus secundum justitiam & integritatem suam v. 9. ipsum protecturus v. 11. Contra vero ipsius hostes, nisi convertantur, planè consumpturus v. 13. seqq. Jehova *inquit*, judicare solet populos, *æqua lance ipsorum facta trutinans, ut eos pro meritis vel præmijs vel pœnis afficiat. quod cum ita sit, mihi etiam ad ipsius tribunal appellanti, justitiam administrare non detrectabit.*

Enallage personarum.

Ubi notanda est enallage personæ in eodem versu. Sic supra Ps. 5, 7. & 41, 3. Buxtorf. thes. p. 408. Judica igitur me Jehova, *sententiam tandem ferto in hac causa mea, de qua cum hostibus tamdiu disputo, ut cum hactenus nesciant reliqui homines, uter nostrum justam foveat causam, inde omnes perspiciant meam innocentiam, sententiam ferto* secundum justitiam & integritatem meam. *Non enim hic intelligit David justitiam personæ (quæ aliàs imputata, & perfectio graduum dicitur, & de quâ planè desperat, cum suas vires consideret Ps. 51, 2 & 143, 2) sed certi illius facti, cujus accusabatur, quasi insidias regno & vitæ Saulis struxerit, ut totius Psalmi cohærentia satis luculenter arguit & similium locorum collatio docet Ps. 17, 1. & 18, 21. & 26, 1. & 9.*

& 9. 1. Sam. 26, 23. Qua de causa supra etjam v. 4 in sui purgatione ajebat: si feci istud, non vero ad perfectam integritatem à se præstitam provocans dicere audebat: si feci malum. Quamvis vero sæpissimè hæc duo verba חָנַן & שָׁפַט confundantur in scriptura, tamen si propriam uniuscujusq; significationem velimus attendere, ita videntur differre, ut illud sit, Judicem egit adhuc cognoscendo causam; Hoc vero, postquam causam cognovit, sententiam ferendo & injuria affectum vindicando. Unde in libro Judicum crebro de ijs occurrit, qui Israelem ab hostibus vindicarunt. חָנַן. שָׁפַט.

Vers. 10] Quia vero in judicio necesse est, ut altera pars causam obtineat, altera eadem cadat, v. 10. Psaltes subjicit, quod in judicio Dei omniscij, cum sententia definitiva fertur, justi absolvantur, injusti damnentur. Fer Deus, ait, sententiam & deficiat malitia improborum, quæ jam ad summum pervenit & perfectè mala est (גָּמַר namq; & perficere & deficere notat, activè & neutraliter, hoc loco tamen potius in posteriori significatione venit ut Ps. 12, 2.) deficiat quæso & nesciat consistere coram te. Contra verò stabilieris justum, adversus hostes eum defendendo, & in bono proposito conservando pro tua peculiari erga pios cura, dirigas eum in via bona ne offendat Ps. 37, 23. sed tuæ legi conformis fiat, tuis præceptis congruenter convenienterq; vivat (cum enim כּוּן in Pihel, ut hoc loco, occurrit, stabilivit, direxit, conformavit significat) qui nosti, quam hoc unicè exoptet & huc adspiret, ut tibi placere queat, qui es explorator & probator cordium & renum, tam interiorum affectuum, quàm secretorum consiliorum hominis conscius Jer. 11, 20 & 12, 2. & 17, 10. & 20, 12. Homo enim spectat, quod est ob oculos; sed Jehova spectat, quod est in animo 1. Sam. 16, 7. Deus juste, qui amas justitiam Ps. 11, 7. Ad præcedens substantivum namq; rectius גָּמַר. כּוֹנֵן.

Vulgatæ versionis error.

referimus hoc adjectivum, quàm cum vulgata versione ad sequentis versiculi vocem primam, quasi hic sit sensus: Justum auxilium meum à Domino. Quam explicationem sibi defendendam sumit Bellarminus, eoq; ipso suam in lingua hebræa prodit insciti am. Apud hebræos enim adjectivum semper postponitur suo substantivo Buxtorff. Thes. p. 306.

Vers. 11. & 12.] Absoluta Thesi de Dei justitia defendente bonos & puniente malos, nunc ad hypothesin descendit vates regius, & cum antea imprecatione mali conditionali adjuratione Dei & confidenti ad ejusdem judicium provocatione suam probasset innocentiam, nunc de eventu minimè dubius pronunciat: Clypeus meus, *protectio & defensio mea Ps. 3, 4. est* in Deo, *cui confidente animo meo, adjuvor Ps. 28, 7.* qui salvat omnes rectos corde *Ps. 73, 1. in Christo, cujus robur est salutare Ps. 28, 8.* qui judicat justè *Ps. 103, 6. 1. Pet. 2, 23. sine ulla προσωποληψία 2. Chron. 19, 7. & injustitiam* detestatur quotidiè *in verbo legis, aliisq; pœnis ad pœnitentiam revocans,* Deus ille fortis.

Alius ejusdem error.

Hæc est vera hujus versus sententia, qui perperam legitur in versione vulgata, quasi hic sit sensus, interprete Bellarmino: *Deus non semper irascitur, sed aliquando effundit iram suam gravissimè puniendo. Quod ut tanto facilius obtineat, pro voce* לֹא, *quæ est in textu hebræo, legit* לוֹ, *sed eo ipso iterum in lingua sancta prodit suam insciti am, in qua nunquam* לֹא *cum Benoni, sed semper cum futuro construitur, & quidem tum, cum dehortamur vel deprecamur, quod hic locum non habet* Buxtorf. p. 504. *Quin etiam Bellarminus ipse fatetur duo illa vocabula, fortis & patiens, non esse in textu, sed tantum à LXX. explicationis gratia addita. Malè igitur facit, quod inde textum hebræum corrigit. Taceo quod sua ipsius ratione se refutet; quando enim Deus effundit suam iram*

לֹא cum Benoni non construitur.

iram gravissimè puniendo, revera maximè irascitur & non amplius est patiens.

Vers. 13 & 14.] *Ex eo igitur, quod Deus sit justus, ac quotidiè detestetur improbitatem, David dehortatur, ut impij recedant à malo & faciant bonum, subjiciens pœnas gravissimas quæ secuturæ sunt, si tempore gratiæ neglecto in manus Dei vivi inciderint. Quod si enim his omnibus pœnitentiæ concionibus spretus impius* non convertitur, *facere etjam per justitiam suam aliter nequit Deus, quin pœnas, quas minatus est, infligat. Has psalmista describit I. Figuratè, tribus similitudinibus. I I. Propriè. Similitudinum Prima est à milite armato & in hostem alacriter ruente desumpta, ad indicandam hujus summi judicis severitatem, & potentiam, qui adeò detestatur scelera improborum, ut, si, cum vocat eos ad pœnitentiam, renuunt Prov. 1, 24. 25. apertum hostem eorum se declaret, ponēs contra eos faciem suam iratam Ps. 34, 17. puniatq; eos tam propè & cominus gladio, quàm longè & eminus sagittis arcu valentissimo emissis, ut planè nullus effugij restet locus: Id quod emphases verborum sequentium innuunt. Cum enim educunt gladium suum impij, & adducunt arcum suum ad dejiciendum pauperem, ad mactandum rectos via, gladius eorum intrabit in cor ipsorum, & arcus eorum confringetur Ps. 37, 14. 15. Nam Deus* gladium suum acuet: *Hebraicè* יְלַטֵּשׁ *i. e. poliet 1. Sam. 13, 20. & vibrabit Job. 16, 9. atq; ita omnibus modis ad perniciem hostis instruet,* arcum suum adduxit, *quasi manibus pedibusq; nitens, maxima vi calcavit, atq; ita tetendit.* דָּרַךְ *enim, quod hoc loco extat, propriè calcare pedibus significat, supra v. 6. adductum porro probè* paravit *& contra hostem impium tanquam scopum direxit, quasi studiosè collimans, ne aberret (est enim in fonte* יְכוֹנֵן *de cujus emphasi dictum est supra v. 10. Vide etjam Ps. 11, 2.) sed nervis suis aptatas*

Similitudo à milite.

aptatas ſagittas jaculetur, contra faciem ipſorum, Pſ. 21, 13. *Ita verò jam optimè directo arcui* adaptavit, *artificioſe impoſuit & veluti confirmavit ſagittas, id eſt, plagas* Pſ. 38, 3. *mortem illaturus præſentaneam, quemcunq; ſaltem tetigerint (hoc enim & nomen hebræum* חֵץ *id eſt, ſagitta, à* חָצַץ *id eſt, diſcidit, excidit, deductum, & adjuncta declaratio innuit, qua dicuntur hæ ſagittæ vaſa & inſtrumenta mortis) quibus* afficiet *iſtos inquietos improbos, & quas immittet iſtis in malefaciendi ſtudio* fervidis *Vide ſupra* Pſ. 1, 1. & Oſe 7, 6. *Vel fervidè & magno cognatu me immerito proſequentibus* דָּלַק. *enim arſit, & fervidè inſectatus eſt, ſignificat* Gen. 31, 36 Thr. 4, 19. Pſ. 10, 2. *Atq; ita in his duobus verſibus etjam gradatio continetur elegantiſſima.*

דָּלַק.

Ellipſis nominativi.

In v. 13. notanda eſt 1. Ellipſis nominativi convenientis ex præcedentibus ſupplendi, vel ex uſu linguæ hebrææ 3. futuri ſine nominativo poſita imperſonaliter accipienda eſt. Unde ex idiotiſmo linguæ noſtræ vernaculæ rectiſſimè vertit Lutherus: **Wil man ſich nicht bekehren.** *Sicut in N. T. hoc genus loquendi uſitatum eſt* Luc. 6, 38. & 12, 20. Buxtorff. Th. p. 394. *II. Peculiaris uſus pronominis relativi, quod hic, ut aliàs ſæpè, ad remotius antecedens ſubſtantivum referri debet. Exempla ſunt* Gen. 10, 12. 1. Sam 7, 26. Pſ. 99, 7. Marc. 2, 13. 2. Theſſ. 2, 9 1. Sam. 27, 8.

Relativum ad ſubſtantivum remotius.

כְּלִי.

בְּלָה.

In v. 14. obſervandus eſt hebraiſmus, quod כְּלִי *id eſt, vas ſignificat quodlibet inſtrumentum, quo poteſt aliquid perfici, ut etymologia oſtendit: Deſcendit enim à radice* בָּלָה, *id eſt, perfecit. Quemadmodum etjam in N. T. vox* σκεῦος *itidem uſurpatur Matt. 12, 29. Undè fit, ut quia Deus hominum opera tanquam inſtrumentorum utitur, ipſum corpus, imo ipſe homo totus vas in ſcriptura nuncupetur 1. Sam 21. quemadmodum etjam in N. T. Act. 9, 15. Rom. 9, 22. 23. 1. Theſſ. 4, 4.*

Hoc ta-

Hoc tamen non usq; adeo extendi debet, ut omne, quod continet, vas dici posse putemus, sicut nugatur Bellarm. lib. 1. de Sacram. in Gen. c. 4.

Ibidem obiter perstringenda est Bellarmini *insciti, qui cum in vulgata versione legit: Sagittas suas ardentibus effecit, ex ignorantia dicam, vel oscitantia, explicat* לְרוֹלְקִים *ex ardenti materia, cum tamen* ל *præfixum nunquam materiam ex qua, sed potius rem seu terminum, in quem tendit motus, notet.* Bellarminus errat.

Vers. 15.] Atq; hactenus similitudo prima: Sequitur secunda à partu desumpta, in quò sunt 1. Conceptio 2. Conatus pariendi. 3. effectus, sobolis in lucem productio. Quod concepit *improbus (quando cum diabolo quasi conjugium init, qui eum peccatis gravidum & prægnantem reddit: Unde defectio à Deo ad diabolum, idolatria in scriptura crebro adulterium & scortatio spiritualis dicitur Jer. 3 Ezech. 16. Ipse vero diabolus mendacij Pater appellatur Joh. 8, 44.) est molestia labor, atq; dolor, hebraicè* עָמָל *Ps. 90, 10. Ex invidia, instinctu Satanæ nata, dolorem concepit ob prosperitatem pij, utq; hanc turbet,* molestiam *ei creare omni conatu studet, mala consilia animo machinatur anxio, unde improbus apud hebræos benè* רָשָׁע *ab inquiete appellatur supra Ps. 1, 1. Consilia ubi animo concepit & satis formavit, secundo conatur in actum producere, atq; ita parturientem refert fœminam, summos etjam hic experiens dolores, quales sunt parturientis (unde summus dolor* ὠδῖνες *in scriptura comparatur Ps. 48, 7. Esa. 13, 8. & 21, 3. Jer. 6, 24. & 22, 23. & 50, 43. Matt. 24, 8. Joh. 16, 21. 22. Et hoc nomine appellatur Act. 2, 24.) Verum Dei providentia impeditus id quod facere moliebatur, efficere haud potest, partum prævertit abortus, ut ita magno conatu tandem* parturiat vanitatem, *atq; ita parturiendo seipsum* Simile à partu.

עָמָל.

Summus dolor confertur cum parturientis dolore.

חִבֵּל. corrumpat, doloribusq; perdat (חִבֵּל namq; quod hoc loco exstat, corrumpere & parturire simul notat) Imò cum putat se tandem fine laboris optato potiturum, pariat fallum & spe plane frustratus opus abjiciat, & telam male cœptam detexere haud possit. Quid igitur? Concipit torridum gramen & pariet stipulam Esa. 33, 11. concipit laborem & pariet mendacium Esa. 59, 4 seu falsum; aliud scilicet, quam cogitaverat, omnesq; molitiones erunt vanæ & irritæ, quod Esa. c 26, 18. שֶׁקֶר. parere ventum dixit: Et nomen שֶׁקֶר de quo Psal. 5, 7. ostendit. Quæ sanè magna pœna est, si nihil eorum, quæ agunt impij, rectè illis sub manus succedit. Quod ut tanto notaretur diligentius, demonstrandi præfixa est particula, Ecce.

Vers. 16.] Tertia similitudo desumpta est à venatore tendente feris insidias dum foveam excavat, eamq; frondibus tegit, in quam illæ, dum accedunt propius, decidunt & capiuntur. Hinc in scripturâ fodere foveam sæpius idem est, quod struere exitium Ps. 35, 7. 8. & 57, 7. & 94, 13 Jer 18, 20. 22. Significat vero psaltes hac tertiâ similitudine, quod, quas impius alteri struit insidias, ijs ipse tandem implicatus teneatur cum lex illa firma sit vel naturâ nota,

Fodere foveam.

Οι ἀυτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων
Η δὲ κακὴ βελὴ τῷ βεβλεύσαντι κακίστη

nec enim lex justior ulla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

בּוֹר. Hostis, inquit, meus fodit foveam: hebra: בּוֹר. Unde nonnulli deducunt illud germanicum Born/ & excavavit, probeq; egessit eam, sed eventu planè insperato: Quam enim paravit alijs, in illam perditionem ipse decidit Ps. 36, 13. שַׁחַת. שַׁחַת enim foveam notat profundissimam, in quam qui incidit, planè perditur & corrumpitur. שָׁחַת siquidem ejus primitivum corrupit, perdidit, interfecit, significat. Sic igitur benè

tur benè ex pœna talionis alteri paratum malum in ipsum autorem recidet. Vide Ps. 9, 16. & 141, 10. Prov. 26, 27. & 28, 10. Eccl. 10, 8. Sir 27, 29. Scelus in autorem redit suum.

Vers. 17.] *Quemadmodum jam porro propriè idipsum psaltes effert, quod figurate hactenus declaravit,* redibit, *inquit,* labor *& molestia alijs intentata* in caput ipsius, & super verticem ejus injuria & violentia ejus descendet: *Non secus ac si grandior lapis illideretur desuper ejus capiti, quo dispergeretur omne cerebrum. Et quemadmodum ipse per vim alijs infirmioribus nocuit, ita vicissim vim à fortiori Dei manu patietur invitus, & quidem eam, quâ planè peribit, sicuti vivere nequeunt, qui lethalia in capite acceperunt vulnera. Dei enim robur est, & ipse rependet cuiq; opus suum Ps. 62, 12.*

Quando vero in priori membro molestiæ, qua velut, gravidum hostem dixerat v. 15. In posteriori violentiæ meminit, ac utriusq; ipsum daturum pœnas pronunciat, innuit omnium ipsum pœnas subiturum gravissimas tam occultorum, quæ velut in corde concepit, quam manifestorum, quæ in actum deduxit, & per vim violentiamq; perpetravit. חָמָס *enim denotat injuriam, quæ fit à volente per vim violentiamq;, repugnante illo cui infertur, qualis est stuprum, rapina, depræda-* חָמָס.
tio Gen. 6, 11. 13. Et ut notat Kimchi in cap. Hos. 1, 5. חָמָס *est tam atrox peccatum, quo ipsa terra inquinatur & perditur, quoq; hominum societas, quam Deus instituit, tollitur.*

LOCI COMUNES.

PRæter doctrinam ex titulo: *I. Donum poëtices, quâ variis carminum generibus aliquis res egregias decantat, esse à Deo, & Deo hæc ipsa probari carmina Ps 45, 2. 49, 4. 15. Eph. 5, 19. Unde si quam pij in V. T. gratiarum actionem eximiam* Donum poëtices.

pro beneficio insigni erant instituturi, metris eam includebant, ut patet ex canticis Israelitarum Exod. 15. Mosis Deut. 32. Deboræ & Barak Jud. 5. Hannæ 1. Sam. 2. Habacuc Habac. 3.

II. Deum semper esse laudandum, etjam in malis Ps. 49, 5. 6. 7. & 34, 2. Phil. 4, 4. Job. 1, 21. 1. Thess. 5, 16. 18.

III. Non esse reddendum convicium pro convicio Prov. 26, 4. 1. Pet. 2, 23. & 3, 9. Matt. 5, 44. 2. Sam. 16, 10.

IV. Licere malos malis ornare titulis Deut. 32, 6. Matt. 3. v. 7 & 22. 18. & 23. 13. 14. 24. Phil. 3, 2. 19. 19. Act. 7, 5. ut ista ignominia perculsi ad frugem redeant & resipiscant. Gal. 2, 1. Luc. 24, 25.

Ex v. 2.] I. De fiducia in Deum solum collocanda, non in homines. Vide supra Ps. 3. 9. & 4, 6. II. Unde sit vera salus Ps. 3, 9. Hos. 13, 9. Esa. 33, 2. Ps. 62, 2. seqq. III. Unde sit odium mundi erga pios Gen. 3, 15. Matt. 10, 25. Joh. 15, 18. 19. 1. Cor. 4, 11. Galat. 4, 28. 29.

Ex v. 3.] I. De immani crudelitate eorum, qui à spiritu Dei non aguntur Ps. 5, 10. & 55, 22. Rom. 1, 26. 27. Gal. 5. v. 20. 21. II. Monemur, quod si est horrendum incidere in manus leonis, regum ac principum, qui sæpe sub imagine leonum depinguntur Esa. 5, 29. Jer. 4, 7. & 49, 19. Ezech. 19, 2. & 32, 2. Quantò est formidabilius incidere in manus Dei vivi, ex quibus nemo liberare impios potest Ps. 50, 22. Ebr. 10. 31.

Horrendum est incidere in manus Dei vivi.

III. De eximia animi moderatione, etjam in atrocissimis injurijs retinenda Ps. 109, 4. & 120, 7. Eph. 4. v. 2. Rom. 12, 19. IV. De periculis quibus Ecclesia & singuli pij, quotidiè sunt expositi, quos stygius leo persequitur 1. Pet. 5, 8. Apoc. 12, 3. 4.

Ex v. 4.] I. quod nomen Dei, ejusq; in nos amor, omnibus calamitatibus opponenda sint Ps. 20, 8. Rom. 5, 3. 5. & 8, 35. 37 II. quod bona conscientia nobis opus sit coram Deo in precibus 1. Joh. 3, 21. 22. & hominibus 1. Pet. 3, 16. & 4, 15. 1. Tim. 5. 19.

qua vel

qua vel nullius facinoris nobis simus conscij 1 Cor. 4. v. 4. vel si conscientiam aliquo crimine maculavimus, iterum sanguine filij Dei purgatam ostendamus Act. 15, v. 9. Ebr. 9, 14. III. De innocentia unicuiq; tuenda, quæ nemini nocere vel injuriam facere cupit, cui cum studemus, merito suspicionem malam à nobis removemus Jos. 22. v. 22. 1. Sam. 1, 14. & 12. 3. 1. Reg, 18, 17. Jer. 37. 12. Act. 2, v. 14. & 6, 14. & 28, 17. 2. Cor. 11. & 12. capp.

Ex v. 5.] I. De non reddendo malo pro malo Prov. 17, 13. & 20, 22. Rom. 12. 14. 17. 1. Cor. 4, 12. II. De inimicis diligendis & malo vincendo bonitate Exod. 23, 4. Matt. 5, 44. Luc. 6, 27. Rom. 12, 21. Exemplo Dei Matt. 5. 45. Rom. 5, 8. Eph. 5, 1. Luc. 6, 6.

Ex v. 6.] I. De exemplis eorum, qui cum conditione sibi ipsis mala sunt imprecati, atq; ita Deum testem invocarunt ut severè puniret mentientes, qui aliter suam probare haut poterant innocentiam 2. Sam. 19, 13. Ruth. 1, 18. 1. Sam. 14, 45. Ps. 137, 5. 6.

Ex v. 7.] I. De Dei ira erga peccata, suprà Ps. 2. 12. II. De potentia ejusdem omnibus impijs formidabili Ps 68, 2. 3. & 106, 2. & 46, 7. 1. Sam. 4. 7. 8. III. Ut oremus ad Dei voluntatem 1. Joh. 5, 14. Manus elevemus sanctas Ps. 134, 2. 1. Tim. 2, 8. Deumq; sui promissi commonefaciamus Ps. 27, 8.

Ex v. 8.] Quis sit finis cùm omnium nostrarum actionum, videlicet Dei gloria 1. Cor. 10, 31. Col. 3, 17. tùm inprimis magistratui in sua gubernatione propositus, videlicet puræ de Deo doctrinæ propagatio Ps. 2. 10. 11. & 24, 7. & 7. 2, 10. & 11. & 122, 3, 4. Esa. 49, 23. & 60, 16.

Ex v. 9.] I. De Dei providentia generali, quâ ut bonas actiones probat & præmijs ornat, ita malas damnat & pœnis afficit, tanquam judex totius terræ Gen. 18, 23. Rom. 3, 6. in-

tegra regna sæpe ac populos fame, peste, bello punit Lev. 26, 16. Deut. 28, 15. seqq. 2. Sam. 24. 12. 13. Jer. 19, 21. Ezech 14, 13. II. De justitia piorum in facto aliquo certo & in comparatione cum impijs. quando enim ad probandam suam innocentiam Dei omniscij judicium implorant, non se ipsos omni ex parte inculpatos jactitant, sed Dei bonitate confisi ipsum esse vindicem, præter jus, fasq; afflictorum, causam, in qua jam innocentes opprimuntur, ipsi commendant. Quæ de re videatur Chem. p. 3. L.C. de bon. oper. in rat. solvend. cl. 8.

Ex v. 10.] I. Quod liceat petere, ut Deus impietati hominum metas constituat, & vel eos convertat, vel planè obstinatos ad nominis sui gloriam perdat Ps. 9, 18. 20. 21. & 10, 18. & 79, 6. Matt. 6, 10. Rom. 16, 20. Act. 4, 29. II. De Dei cura peculiari circa pios, quos dirigit in via recta Ps. 25, 8. 9. & 141, 3. 4. 5. 1. Tim. 4, 10. III. De Dei omniscientia, quæ etiam interiores affectus cognitos habet Ps. 44, 22. & 94, 11 & 139, 2. Jer. 11, 20. & 18, 23. Prov. 24, 12. Unde καρδιογνώστης dicitur Act. 1, 24. & 15, 8. IV. De Dei justitia, qua judicium rectè administrat erga bonos & malos Ps. 119, 137. Jer. 32, 19. Dan. 9, 14. Ezech 18, Deut. 32, 4. Ps. 11, 7. & 129, 4. Rom 9, 14.

Ex v. 11.] I. De Dei protectione in malis Ps. 18, 3. & 28, 7. 8. & 31, 3. & 144, 2. & 46, 2. seqq. II. De causa efficiente salutis nostræ, videlicet Deo Rom. 4, 5. & 8, 33. Gal. 3, 8. Eph. 2, 8. Tit. 3, 4.

Ex v. 12.] I. De Dei judicio justo 1. Sam. 24, 16. Job 9, 15. Ps. 50, 6. Esa. 33, 22. 2. Tim. 4, 8. II. De Dei odio erga peccata, supra Ps. 5, 6. 7. & 11. v. 5. & 45, 8. Jacob 1, 13.

Ex v. 13.] I. De impœnitentia, quæ neq; blanditijs, neq; minis corrigitur, ejusq; pœnis Job. 36, 12. Prov. 1, 26. 27. Rom. 2, 5. Joh. 12, 39. II. De pœnitentia, quæ est unica via effugiendi vindicem irati Dei manum Dan. 4, 24. Matt. 3, 7 8. Luc. 19, 42. Act. 2,

42. Act. 2, 38. & 8, 22. III. De rigore judicij divini in refractarios Pſ. 11, 6. Ebr. 10, 31. Rom. 2, 9. Luc. 13. 3. 5.

Ex v. 4.] I. De malo pœnæ, quod ſit à Deo Deut. 32, 33. 1. Reg. 9, 9. & 21, 29. Amos 3, 6. Mich. 1, 12. II. De ſtudio & fervore impiorum in malo Eſa. 5, 11. 18. 2. Rom. 3, 13. 14. 15. Epheſ. 4, 18. 29.

Ex v. 15.] I. De pœna talionis, quâ impijs in ruinam & damnum ſunt mala, quæ pijs pararunt 1. Sam. 17. 44. & 31. 4. Eph. 7, 10. Pſ. 9, 16. & 36, 13. II. Quod impijs, quæ timent accidant, Job. 6, 16. Prov. 1, 26. & 10, 24. Eſa. 66, 4. Ezech. 11, 8. Joh. 11, 48.

Quæ cogitanda ijs, qui immeritò oppriuntur.

Diſcimus I. *quænam ſint meditanda ijs, qui immeritò vel vi, vel calumnijs opprimuntur, videlicet Dei majeſtas, fœderis cum eo initi firmitas, promiſſionis ipſius veritas, officij dignitas. Ipſorum vero coram Deo indignitas, coram hominibus impijs integritas, & deniq; hoſtium iniquitas, Cum enim Deus* Deum eſſe Jehovam.

ſit I. Jehova. v. 2 4 7. 9. qui ſemper idem exiſtit Pſ. 102, 28. in malos ſeverus, & in bonos gratioſus Nahum. 1, 3. 4. ſeqq. ut ab eo omnia ſunt bona creata & approbata Gen. 1, 31. Ita omnia mala ab eodem habentur odio Pſ. 5, 5. ac vel in hac, vel futura vita puniuntur Matt. 3, 12. Pſ. 37, 38. 2. Theſſ. 1, 5. ſeqq. Rejiciant igitur immerito afflicti in Jehovam quidquid dat & immittit ipſis malorum, & ipſe ſuſtentabit eos, qui non permittet, ut dimoveatur in ſeculum juſtus Pſ. 55, 23.

Patrem noſtrum.

II. *Deus noſter v. 2. 4. Pater noſter Joh. 20, 17. qui nos plus quam paterno Pſ. 103, 13. & materno amore proſequitur Eſa. 49, 15. dilectos in dilecto Eph. 1, 6. qui facti ſumus ejus filij per fidem in Chriſto, quem in baptiſmo induimus Gal. 3, 26. qui eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum 1. Pet. 3, 21. ut habeamus aditum ad thronum Dei Rom. 5, 2. & clamemus in afflictionibus, Abba Pater Rom. 8, 15. 16. nec relinquet nos,*

quet nos, neq; planè desiderio nostrorum hostium nos tradet Ps. 27, 9. 12. sustineamus igitur castigationem Dei paternam, quod si facimus, Deus se nobis exhibebit ut filijs Ebr. 12, 10. seqq. qui fidelis in suis promissionibus Ebr. 10, 13. nobis in seculum benignitatem suam servat & cujus fœdus firmum est Ps. 89, 29. 34. 35. III. Verax in promissionibus & minis. Promisit vero se fore oppresso vindicem Ps. 10, 18. Nos oppressos etjam paulo momento Esa. 54, 7. 8. cito liberabit Luc. 18, 8. ac propter suam gloriam in cœtu Ecclesiæ à nobis decantandam in altum revertetur v. 8. exaltabitq; nos ex portis mortis, ut enarremus universam laudem ejus in portis filiæ Sion (i. e. publicè) Ps. 9, 14. 15. Omnia enim opera Dei fulta in æternum, factaq; fideliter & rectè Ps. 111. 7. 8.

Veracem in promissionibus, & minis.

Judicem terræ.

IV. Judex omnium populorum v. 9. Deus justus v. 10. salvans rectos corde v. 11. devastans omnem malitiam v. 12. eamq;, si corrigi nolit, severissimè puniat v. 13, seqq. Nos etjam vindicabit Ps. 43. 1. nostramq; contentionem suscipiens, contendet adversus contendentes nobiscum, & impugnabit impugnantes nos Ps. 25, 1. quippe cujus judicia sunt instar abyssi magnæ Ps. 36, 7. salvabit nos, quando perveniunt aquæ afflictionis, usq; ad animam Ps. 69, 2. Et contrà perdet omnes operatores iniquitatis Ps. 5, 6.

Nos esse gratia Dei quidem indignos.

Nos verò licet coram Dei judicio nostrâ justitiâ subsistere nequeamus Ps. 143, 2. & proinde omnes nostram indignitatem confiteri necesse habemus cum Jacobo Gen. 22, 10. Petro Luc. 5, 8. Centurione Matt. 8, 8. Davide Ps. 130, 3. nec nostris operibus confidere possimus Luc. 17, 10. tamen non desperemus Ebr. 10, 35. sed in Deo confidamus cum Davide v. 2. ejus benignitatem & miserationes imploremus Ps. 5, 3. apud quem est condonatio Ps. 130, 4.

Veruntamen coram homi-

Coram hominibus autem vitam ducamus inculpatam, ne quod

quod jure in nobis reprehendant, habeant 1. Pet. 3, 16. & 2, 12. ut possimus gloriari cum David, confidẽter q; eorũ calumnijs opponere: si feci istud &c. v. 4. 5 & ex ps. 59, 4. 5 insidiantur mihi, conveniunt contra me robusti, nulla defectione meâ, nullo peccato meo, nulla iniquitate mea, concurrunt & comparant se, ut ita certamen bonum certemus, cursum absolvamus, fidem servemus 2. Tim. 4, 7. Quod si fecerimus, justum est apud Deum, reddere illis, qui nos affligunt, afflictionem. 2: Thess. 1, 6. Nos vero paulisper adflictos Deus perficiet, stabiliet, roborabit, fundabit 1. Pet. 5, 10. ut queamus tandem dicere: Utiq; est fructus justi, utiq; est Deus judex in terra Ps. 58, 12. nibus integros.

Hostium deniq; consideranda iniquitas, cum ut eos à Deo converti petamus, exemplo Christi Luc. 23, 34. & Stephani Act. 7, 60. tum ut nos à similibus peccatis avocemus rei fœditate & pœnarum magnitudine. Nisi enim conversi fuerimus, omnes similiter peribimus Luc. 13, 3. 5. Iis quibus v. 13 14. 15. 16. psalles inevitabile Dei minatur judicium. Hostes nostros esse iniquos.

Hinc discimus II. Verum esse quod scripsit olim D. Chrysost. neminem lædi nisi à se ipso: Id enim graphicè adumbrant cum duæ posteriores similitudines: Prior à parturiente muliere, posterior à venatore incidente in foveam, quam ferus foderat: Tum epiphonema gravissimum v. 17. positum: Ut enim mulier, dum concipit, in utero gestat, fovet acnutrit fœtum, multos dolores ac molestias ipsa sibi quodammodo in hac corrupta natura creat Gen. 3, 16. Ita non solum ij, qui alios immerito malis & calumnijs afficiunt, sibi ipsis malum creant, consilia mala excogitantes Ps. 36, 5. machinantes Ps. 21, 12. perficientes Ps. 10, 8. 9. 10. sed etjam ut viperæ à suo fœtu (Plinius lib. 10. c. 62. & Esa. 42, 14.) enecantur ac perduntur Ps. 9, 17. & 10, 2. Ut enim limax, liquescentes abeunt, ut abortus mulieris, & qui non viderunt lucem Ps. 58, 5. 9. Ut item qui Nemo læditur nisi à seipso. Simile à parturiente.

A fodiente fovcam.

item qui fodit foveam, quâ capiatur fera, si ipse incidat in eam, damnum sibi parat: ita qui alios immeritò persequuntur, exitium sibi ipsis struunt, quo intereant, ut Haman Esth. 7, 10. Vide Jud. 1, 7. 1. Sam. 15, 30. Jer. 50, 14. Ezech. 35, 11. Ps. 137, 8. Semper igitur simus regulæ Christi memores: Quæcunq; vultis ut alij faciant vobis, facite ipsis & vos Matt. 7, 12 Luc. 6, 31 qua enim mensura metimur, eâdem reddetur nobis Mat. 7, 2. & Luc. 6, 38.

III. Refutantur hinc ij, qui putant, in hoc corrupto mundi statu, nullam esse Dei providentiam; qua de re August lib. 1. de civ. Dei c. 8. 9.

PARS POSTERIOR.

Vers. 18. OCCasione præsentis versiculi, quo docuerat psaltes ex justitiæ divinæ administratione mirabili fieri, ut scelera tandem in auctorem redeant suum: transit ad secundam hujus Psalmi partem, quæ continet δοξολογίαν, quâ gloriatur fide de certâ spe futuri auxilij, adeò confidenter, ac si jam voti sui, in priore Psalmi parte facti, factus esset compos, causamq; subjicit, videlicet Dei justitiam, quæ ipsum rectum corde sit salvatura: Improbos vero suos hostes, nisi convertantur, consumptura. Q. d. Postquam Deus meam innocentiam, hostiumq; meorum iniquitatem facto ipso declaravit, id restat, ut hoc ejus beneficium grata mente conservem, grato ore prædicem, laudibusq; extollam. Hæc enim unica voce hebræâ הוֹדוֹת significantur omnia, quæ proprie denotat, confessus est. Quia vero is, qui laudat, confitetur eum, quem laudat, dignum esse laude, pro celebrare sæpe usurpatur, quemadmodum & græcum ἐξομολογεῖσθαι, qua de re supra Ps. 6, 6.) Celebrabo Jehovam, justum illum judicem, & psallam instrumentis musicis (hebraicè אֲזַמְּרָה id est, modula-

הוֹדוֹת.

Ἐξομολογεῖσθαι.

modulationes artificiosas certis numeris & cæsuris incisas adhibebo. supra Ps. 3, 1.) nomini Jehovæ excelsi; *qui surrexit, seq; extulit, contra indignationes hostium meorum, & propter cœtum populorum in altum reversus est supra v. 7. 8. Enarrabit lingua mea justitiam ejus, tota die laudem ejus Ps. 35, 28. & 40, 11. Et quia ipse evigilavit ad judicium v. 7. evigilabit jam nablium meum & cythara mea, ut celebrem ipsum in populis, & psallam ipsi in nationibus Ps. 57, 9. 10. Nomen enim Jehovæ pro ipso Jehova poni, dictum est supra Ps. 5. 12.*

Causa hujus gratiarum actionis unâ voce hebræa כִּצְדְקוֹ *indicatur,* secundum justitiam ipsius, *propter justitiæ administrationem in causa mea factam, eventuq; ipso in hostibus probatam, quam ego votis tam anxijs optabam, & licet hoc futurum esset, tamen Propheticè propter definitam rei certitudinem præterito tempore hic efferri potest. Vide supra Ps. 6, 9. similesq; δοξολογίας observa Ps. 13, 6. & 22. 23. & 35, 18.*

LOCI COMMUNES.

I. *De fidei naturâ, quæ est hypostasis τῶν ἐλπιζομένων Ebr. 11. 1. Rom. 4, 18 19. faciens ut non pudefiamus Rom. 9, 33. & 10, 11. 1. Pet. 2. 6.*

II. *De gratiarum actione Deo pro omnibus beneficijs debita Ps. 50, 14. 15. Colos. 3, 17. Ebr. 13, 15. 1. Thess. 5, 16. Ps. 71. 24. Lingua mea enarrabit tota die justitiam tuam. In quem Psalmum sic scribit* Augustinus. *Quid est* totâ die? *sine intermissione. In prosperis; quia consolaris: In adversis; quia corripis: Antequam essem; quia feciisti. Cum essem; quia salutem dedisti: Cum peccassem; quia ignovisti. Cum conversus essem; quia adjuvisti. Cum perseverassem; quia coronasti. Ita plane repletur os meum laude, ut hymno dicam gloriam tuam, tota die magnificentiam tuam.*

III. Nihil aliud Deum pro beneficijs requirere, quàm hostiam laudis, ut nomen ipsius celebremus, quod ritu legitimo olim figurabatur sacrificijs Lev. 3, 3. seqq. Ose. 14. v. 2. Ps. 51. 21. & Ps. 107, 22. & 116, 12. seqq. Ebr. 13, 15. Rom. 12, 1.

Quæri potest,

אֱלֹהִים cum singulari constructum, quando de vero Deo dicitur, notat pluralitatem personarum.

Cum nomen plurale אֱלֹהִים *ter construatur cum adjectivo singulari versu 10. 11. 12. 13. 14. aliquoties ei junga tur verbum singulare; hac vero constructione irregulari & similibus orthodoxi interpretes pleriq; tam veteres quam recentes mysterium Trinitatis personarum in una Deitate innui existiment: Contra vero tum* Calvinus, *eumq; nonnulli ejus sectatores: Inprimis* Danæus lib. 1. Lombard. distinct. 21 c. 6. Paræus contra Hunn. Drusius epistola 66 & in libello Elohim. in Miscellan. cent. 2. cap. 53. *quantum ad hoc loquendi genus attinet, egregiè judaizantes, secuti inprimis* Rabbinum Kimchi, in suo Michlol, *qui SS. Trinitatis abreptus odio infirmare conatus est adductis exemplis* Aben. Esræ *regulam inferius positam: Tum* Bellarminus libr. 2. de Christo cap. 6. (*qui tamen in heb.* grammat. p. 140 *probaverat,*) *idipsum rejiciat, & tantum ad singularem idiotismum linguæ Sanctæ referant; Quid ea de re sit sentiendum?*

Negatur.

Probatur 1. *Respondeo breviter, cum constet I. Majorem lucem cum aliorum fidei articulorum, tum etjam de Trinitate personarum Divinitatis in N. T. & Messiæ adventum esse reservatam*

2. *Jer. 31, 34. II. Nullum jota vel apicem sacris in literis esse otiosum Matt. 5, 18. 19 Luc. 16, 17. III. Hoc nomen plurale*

3. *non carere singulari Deut. 32, 15. Job. 4, 9. IV. Construi*

4. *cum verbo Gen. 20, 13. 2. Sam. 7, 22. & adjectivo plurali tam nominali Jos. 24, 19, quàm pronominali affixo Ps. 3, 8. & participiali*

ticipiali. Tum absoluto Ps. 58, 12. tum instatu affixorum Job. 35, 10 Ps. 149, 2. Esa. 54, 5. V. Non posse hunc numerum pluralem ullo modo ad essentiam divinam referri, quippe quæ simplicissimè una est Deut. 6, 4. Nec ad proprietates seu attributa Dei, quippe quæ etjam sunt in Deo simplicissimus ac purissimus actus, licet ad extra considerata, distinctionem admittant, quæ non propriè dicuntur ivisse 2. Sam. 7, 22. Nec Patriarcham eduxisse Gen. 20, 13. Cum actiones sint suppositorum, merito concludimus, pro ratione temporis istius V. T. quo omnia, quæ ad Trinitatis personarum in divinitate, incarnationis & passionis filij Dei, atq; adeò totius nostræ redemptionis mysterium spectant, tradebantur obscurius Ebr. 10. 1. quam in N. T. Matt. 4, 16. non sine gravi causa à Spiritu Sancto locis fermè innumeris, hanc constructionem usurpatam esse, cum vel nomen ejus vel aliud nomen divinum singularis numeri æquè facile adhiberi potuisset: sed ea ipsa Trinitatem personarum indicari, & inde confirmari, præsertim eum in illis locis, quos tanquam similes nobis obducrant ij, qui diversum statuunt, nec unquam nomina pluralia uni rei tributa, vel cum verbo, vel cum adjectivo plurali absoluto construantur, ut de nomine Elohim observarunt Theologi, quod tamen factum esset, si tantum linguæ esset idiotismus. Respondetur ad objectiones.

Accedit, quod nec in prima persona ullus homo singularis propriè de se solo in biblijs locutus fuisse legitur, ut de Elohim constat Gen. 1, 21. & 3, 22. & 11, 7. Cant. 1, 11. Esa. 6, 8. ut notat Aben Ezra notante Tremelli c. 31, Gen. 26. Nam quæ à Judæis opponuntur locutiones velut similes, omnes sunt synechdochicæ conjungentes eum, qui loquitur, cum socijs vel consiliarijs. Vide Gen. 29, 27 Num. 22, 6. Job. 18, 2 3. 2. Sam. 16, 20. Dan. 2. 36. Cant. 1, 14. Hoc itaq; si bene notetur, facile ad argumentum adversariorum præcipuum respondere licet:

Ita etjam licere tres Deos dicere, quod prohibetur religione Catholica, ut Symbolum Athanasij habet. Dum enim ad personarum divinitatis pluralitatem indicandam hanc constructionem irregularem adhibemus, essentiæ unitatem neutiquam destruimus. Quin vero uni personæ nomen Elohim optimè tribui perse concedimus Ps. 45, 8. Ose 1, 7. eò quod non sit sine reliquis duabus personis Deus, verum in Trinitate, ut respondet D. Hunnius, *quem vide prolixius hac de re disserentem in loco* de Trinit. & Antipareo.

Alijs vero rebus creatis impropriè hoc nomen plurale tribuitur, vel quod vice Elohim, id est, Dei fungantur, vel sint ejus præsentiæ Symbolum: Vel deniq; κατὰ δόξαν quod Dij dicantur & habeantur 1. Cor. 8, 5 qui non sunt Esa. 37, 19. Jer. 16, 20. Ideoq; ex hac impropriâ locutione propriam oppugnare haud licet, præsertim cum maxima in utraq; dissimilitudo: Quia enim una illa Dei essentia communis est tribus personis, & tres personæ subsistunt in unitate essentiæ propterea plurale de singulari, & singulare de plurali vere ac propriè enunciari potest ac debet. In reliquis vero rebus singularibus cum unum non sit plura, nec plura sint unum, impropriè plurale de ijs prædicatur. Vide contra alios Calvinianos Fr. Jun. in Gram. hebr. & in 2. defens. de S. Trinit. Polanum in syntagmate Theolog. lib. 3, cap. 3.

ENAR-

ENARRATIO PSALMI OCTAVI.

TItulus hujus Psalmi quatuor docet 1. Cui decantandus sit traditus. 2. quo instrumento musico. 3. quo genere scriptionis sit compositus, Et 4. denique à quo authore. In textu hebræo his continentur illa verbis. Titulus Psalmi octavi.

לַמְנַצֵּחַ עַל־הַגִּתִּית מִזְמוֹר לְדָוִד

Præfecto musicorum super ex Gath advecto (*puta instrumento musico vel cythara*) Psalmus Davidis, *scilicet decantandus est traditus.*

Quod ad primum tertium & quartum ejus membrum spectat, dictum est supra in titulis Psalmorum tertij & quarti: Restat ut videamus secundum hujus tituli membrum, hactenus nondum explicatum. Id Bellarminus *esse vult* עַל־הַגִּתִּיוֹת *eò quod vulgata versio & LXX. interpretum (ex ipsius sententia) græca legant:* Pro torcularibus. *Sed cum in omnibus exemplaribus hebræis, ad quæ in dubijs est recurrendum constantissimè aliter legatur, vetus illa Bellarmini cantilena, hanc mutationem facile potuisse accidere, nihil nos movet: Et videndum porro est, quæ inter tam varias interpretum conjecturas veritati quàm maximè sit consentanea. Extant hæc verba in titulis Ps. 8. 81 & 84. quæ, qui sequuntur lectionem in versione vulgata expressam, id innuere existimant, quod hi Psalmi tempore vindemiæ in honorem Dei sint decantati in festo tabernaculorum; Vel de torculari spirituali, id est, ministerio Evangelij in vinea Ecclesiæ Esa. 5. Matt. 20, 21. accipiunt; Vel quod illi Psalmi sint aptissimi &*

ubi præterea extet, quid notet I. ex vulgata versione.

1.
2.
3.

simi & velut torcularia ad exprimendum vinum divini amo-
4. ris in cordibus hominum. Vel quia canendi sunt cum læti-
tia, quomodo lætari & canere solent tempore vindemiæ, qui
de torcularibus ingentem vini copiam exprimunt Arnobius
5. non pro torculari, sed pro multis torcularibus fixus est titu-
lus, quæ torcularia voces sunt omnium Prophetarum, quæ
nunc impleta sunt, quando vitis vera clavorum ferramentis
plantata est, & in ligno crucis posita, lancea percusso ejus la-
tere, tantum vini in his torcularibus fudit, ut non in Judæa
tantum, sed in universa terra nomen Domini mirabile cla-
marctur. Vel deniq; alij de Edom seu Esavi posteris accipi-
unt, quos sit Rex Messias calcaturus in ira sua aut calcantur in
torculari uvæ, respicientes ad cap. Esa. 63, 1. 2.

Verum hi omnes carent fundamento, cum nec textum
corruptum esse probent, nec vocem גִּתּוֹת nunc in eo repe-
riamus.

Ex hebræo textu. Eorum vero, qui lectionem hebræam recipiunt, alij locu-
tionem esse plenam volunt, & vel esse melodiæ genus vel canti-
1. 2, lenæ initium, ad quam Psalmus decantetur. Alij ellipticum,
3. & designari existimant, vel stationem Gittheam cum David
arcam Dei Sionem deportare cogitans deponendam eam apud
Obed-Edomum Gitthæum curavisset motus offensione Husæ,
quæ historia 2. Sam. 6, describitur. Atq; ita Gath Rimmon
4. intelligunt Jos. 21, 24. 25. Alij deniq; arbitrantur esse nomen
instrumenti, in urbe Palestinæ nobili Gath (cujus mentio
fit Jos. 12, 22. & 13, 3. 1. Sam. 17, 4. & 21, 12. Mich. 1, 16.) in-
venti, indeq; abducti, quo decantarentur hic & reliqui Psal-
mi duo hoc titulo notati, unde Chaldæus paraphrastes reddit
ad cytharam advectam ex Gath, quæ sententia omnium vi-
detur maximè probabilis, cum propter similem ellipsin nomi-
nis substantivi in titulis usitatam, qualem præcedente Psalmo
vidimus;

vidimus: Tum propter similem constructionem. quando enim post vocem לַמְנַצֵּחַ in titulo Psalmi præpositio עַל cum nomine gentili construitur sequentè nomine מִזְמוֹר aut æquipollente, instrumentum notari musicum per inductionem non improbabiliter concludimus.

Quod vero his non notetur historia, inde licet colligere, quod ea in titulis Psalmorum pluribus verbis notari consuevit, ut etjam inductione titulorum patet Ps. 3. 7. 18. 34. 51. 52 56. 63. &c. Historia notatur pluribus verbis.

Porro ijs qui dicunt esse genus melodiæ aut initium Cantilenæ, utpotè affirmantibus incumbit probatio, quam hactenus videre non licuit. Sed hæc hactenus, in quibus est boni Theologi quædam ignorare.

Nunc porro ad certiora & magis necessaria accedamus, inquirentes initio, de quo Psalmus præsens loquatur: exstant enim duæ præcipuè hac de re sententiæ. De quo Psalmus hic agat.

Prior est eorum, qui in eo laudari statuunt magnificentiam Dei ab opere providentiæ ac creationis, in primis qua curat hominem, unde etjam à Christo Matt. 21, 16. non alio adhiberi autumant, quàm ad naturalem infantium nutritionem, qua sugunt ubera matrum, unde fideles peculiarem Dei erga infantes, quibus, nondum in lucem editis, de cibo prospicit, & ut, natura duce, eum capere possint, facit, agnoscunt misericordiam, eamq; celebrant. Non de Dei cura erga quemvis hominem.

Posterior eorum, qui statuunt celebrari Dei magnificentiam in Christo explicatam, sed ita ut ab hoc tanquam capite gloriæ & magnificentiæ Christo homini tributæ effectus in pios, tanquam membra dimanet per Evangelij prædicationem in N. T. omnibus oblatam. Sed de Christo.

Prior refellitur I. Testimonijs tribus N. T. certissimis, quibus probatur, Spiritum Sanctum in hoc Psalmo de opere Illud probatur.

creationis vel gubernationis mundi primario non agere: Inter

Ex tribus testimonijs.

quæ primum est ipsius Christi, qui v. 3. hujus Psalmi non ad creationem mundi vel mirandam ejusdem gubernationem probandam allegat, sed acclamationi faustæ prophetæ Regi ac Sacerdoti Ecclesiæ peculiariter ad opus redemptionis Hierosolymis complendum adventanti, templum repurganti, ac infirmos sananti à pueris decantatæ Matt. 21, 16. accommodat, innuens, reliqua in hoc Psalmo vaticinia sibi uni & soli competere.

I. Matth. 21. 16.

II. 1. Cor. 15. 27.

Secundum Apostoli Pauli, qui 1. Cor. 15, 27. ex v. 7. hujus Psalmi probat, Christo etiam mortem subjectam esse, argumentando à toto ad partem hoc modo: Si Christo omnia sunt subjecta, etiam mors ei subjecta est, quæ est ultimus hostis. Sed illud. E. & hoc. Assumptum probat ex Ps. 8, 7. Quod haud faceret, si de toto genere humano loqueretur Psalmus.

III. Heb. 2. 6. 7.

Tertium Epistolæ Ebr. 2, 6. 7. 8. ubi ex v 5. 6. 7. 8 hujus Psalmi probatur, Christo homini totum subjectum esse mundum, & præcipuè Ecclesiam. ejus enim magnificentia satis declarata est assumptione in unitatem personæ τῦ λόγυ, insigni & peculiari Dei patris erga eundem dilectione ac cura, cum instatu exinanitionis, tum exaltationis, ideoq; angelis ipsis aliisq; Ecclesiæ Doctoribus hic Dominus longè est major, magisq; nos oportet ijs attendere, quæ ab ipso dicta sunt nobis, quàm quæ ab angelis, vel sanctis Dei hominibus Ebr. 2, 1. 2.

Et Psalmi argumento.

Secundo, refutari facilè potest illa sententia ex ipso Psalmo, I. quia non agit de naturali gloria hominibus in creatione donata, sed de supernaturali, imò supercœlesti & divina, uni homini verè communicata v. 2. Ut ex comparatione v. 4. adhibita liquet. II. quia totam Christi historiam evidentissimè proponit v. 5. 6. 7. quæ nulli alij homini (ψιλῷ) nudo propriè accommodari potest, ut ex proximè citato loco apparet.

III. Quia

III. *Quia non dicit, quàm magnificum factum est olim nomen tuum Adamo in creatione, sed in præsenti, quàm magnificum est, & quidem in tota terra.* IV. *quia homini nudo in creatione non sunt simpliciter omnia opera Dei subjecta, ut habet v. 7. sed tantùm animalia* Gen. 1, 28.

Posterior sententia ijsdem comprobatur rationibus & testimonijs, quibus prior est refutata, ideoq; nunc ut argumentum Psalmi subjiciamus, ordo postulat, id verò tale est:

Argumentum.

Admiratur David, glorioseq; prædicat supercœlestem decorem Christo homini à Patre datum, quem amplificat, cum à manifestatione in prædicatione Evangelij, cujus etjam præcones infantes fuerunt, ad confusionem infidelium, salutem verò credentium: Tum ab enumeratione donorum, quæ in eum sunt congesta, quorum effecta in pios redundant per verbum de Christo prædicatum, quod interior noster homo renovatur de die in diem.

Usus.

Usus *est, ut Christo θεανθρώπῳ fratri nostro, tam glorioso regi ac Domino semper psallamus, ei in omnibus periculis confidamus, ejusq; verbum, quod etjam per minimas res, prædicatur, promptè suscipiamus, eiq; obsequamur, cum per hoc possit etjam in media morte nos salvare, prout hunc usum Psalmi, locis citatis indicat Christus & Apostolus.*

Ἀνάλυσις.

Psalmus est ἐπαινετικὸς, *formæ* κυκλοειδοῦς. Partes *ejus sunt duæ:* Propositio & Confirmatio.

Partes duæ.

Propositio.

Propositio est, nomen Dei per Christum majestate supercœlesti donatum, factum est magnificum v. 2. explicata & v. 10. in conclusione repetita.

Confirmatio.

Confirmatio argumenta continet desumpta à persona I. Dei conferentis divinam illam majestatem, qui est Jehova & Dominus noster v. 2. II. Eorum quibus est revelata, videlicet, omnium hominum, qui in toto terrarum orbe vivunt,

ibid.

ibid. III. Eorum per quos prædicatur, videlicet, coram mundo contemptorum infantium & lactentium v. 3. IV. Eorum ad quos compescendos manifestatur ibid. v. 3. V Christi hominis accipientis eam majestatem, quæ prolepticè ponitur, infine vers. 2. Latius verò deinde declaratur dupliciter. I. Si sensum literalem proprium respicimus, per comparationem corporum cœlestium, velut Lunæ & stellarum, quibus cum Deus cœlestem concesserit decorem, hoc homine misero, cui datus est decor supercœlestis, videntur digniora. Si vero, quod magis alijs probatur, etjam hic sensum consideramus literalem figuratum, declaratur I. Comparatione gloriæ cœlestis, collatæ & conferendæ vivis Ecclesiæ membris Christo suo capiti firmiter adhærentibus, per Spiritus Sancti ministerium, quia his cœlestem confert decorem; Illi supercœlestem dedit: His finita, creata, magna; Illi infinita, increata, divina concessit dona: His per verbi efficaciam: Illi per unionis gratiam v. 4.

II. Per se: Probat enim quod Christo homini coram mundo abjecto, collatus sit decor supercœlestis (1.) assumtione in unitatem personæ τῦ λόγυ (2.) Cura singulari, qua Deus eum prosecutus est v. 5, tam in statu exinanitionis, quando eum dereliquisse parumper videbatur, quam exaltationis, quando gloriam & honorem antea in primo conceptionis momento concessam abunde declaravit in resuscitatione ex mortuis gloriosa, ascensione in cœlos acsessione ad dextram Dei v. 6. & communicatione omnipotentiæ divinæ, qua eum constituit Dominum omnium v. 7. & quidem animalium, tam quæ in terra v. 8. quam quæ in aëre & mari vivunt v. 9. ex quibus quæ majestas in prioribus continetur, Christo soli propriè competit. Quod vero in his duobus posterioribus versiculis habetur, dominium cum pijs communicatur. Omnia tamen eum in finem tendunt, ut salvemur, & nomen Domini sit magnificum non

ficum non tantum in universa terra, sed etjam olim in cœlo, cum revera Jehova erit Dominus noster, & omnia in omnibus 1. Cor. 15, 28. v. 10.

PARS PRIOR.

Vers. 2.] PRoposítio hujus Psalmi duplici exornata est figura Rhetoricâ, ἐκφωνήσει & σεσφωνήσει, quam alij appellare malunt ἀποσροφὴν seu aversionem: In illam prorumpit, cum diu apud animum majestatem & gloriam Dei considerasset: Jehova, inquit, Deus bone, quàm longè superat tua majestas in se considerata, qua lumen habitat inaccessum 1. Tim., 6, 16. nostras ingenij vires: Illa potissimum particula מָה indicatur, cujus usus frequens est in admirationibus Ps. 36, 8. & 92, 6. & 104, 24. & 114, 5. Hac vero significat, quod Jehova iste tremendus majestate summâ se clementer revelaverit in doctrina Evangelij, quæ docet, quod in filio nos suos inimicos sibi reconciliaverit Rom. 16, 25. 26. & 5, 8. 10. 2. Cor. 5, 18. ut jam deinceps sit Deus ac Dominus noster Joh. 20, 17. 18. nobis propitius (id est noster) ac placatus per filium 1. Joh. 2, 2. Jehova Dominus noster, quàm magnificum est nomen tuum. Per nomen Dei (quod est subjectum in hac propositione) hoc loco nihil aliud intelligit, quam concionem Evangelij, quia in hoc se manifestè revelavit, cùm quoad essentiam, tùm quoad voluntatem, unde eum possimus agnoscere, ut aliàs res omnes ex nomine suo. Aliàs vero in genere Nomen Dei dicitur vel Deus ipse, vel quicquid de Deo, tam ex libro naturæ ac operibus: quàm scripturæ, cùm legis tum Evangelij cognoscitur. Vide supra Ps. 5, 12. & 7, 18. & 113, 2. 3. & 148, 13. Prædicatum vero explicat modũ, quo revelatum est in N. T. Evangelium, videlicet valde magnificè, puta per filium Dei unigenitum plenum gratia & veritate

מָה.

Nomen Dei.

veritate Joh. 1, 14. & 16. quiin temporis plenitudine naturam humanam ex Maria virgine assumpsit Matt. 1, 18. 21. Gal. 4, 4 & verbum Patris æternum factum est Caro Joh. 1, 14. Ut sit Emanuel noster, una persona θεάνθρωπος Matt. 1, 23. in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter Col. 2, 9. sed tamen cum hoc modo esset in forma Dei, se ipsum exinanivit, formam servi accipiens Phil. 2, 6. 7. factus nobis per omnia similis, excepto peccato Ebr. 2, 17. & 4, 15. & cum Patri factus esset obediens usq; ad mortem crucis, Deus ipsum super exaltavit, & largitus est ei nomen, quod super omne nomen est Phil. 2, 8. 9. dans ei omnem potestatem, quæ est in cœlo & in terra Matt. 28, 18. Ut ita sit revera magnum pietatis mysterium, quod Deus manifestatus in carne, prædicatur inter gentes, creditus in mundo, assumptus in gloria 1. Tim. 3, 16. Hæc de Christo concio, coram mundo, stultitia, coram Deo summa sapientia 1. Cor. 1, 21. magnificè sparsa est per Christum, ejusq; Apostolos, homines coram mundo abjectos, ibid. v. 27. 28. quæ admiranda Evangelij prædicatio est miraculorum omnium maximum miraculum, de quo vide Augustin. *lib. 22. de civ. Dei c. 5.*

LOCI COMMUNES.

Præter doctrinam ex v. 1.] 1. de musices instrumentalis pio usu, de quo supra in titulo Ps. 4. 11. De rebus quæ ab impijs nobis obveniunt ad gloriam Dei referendis: quemadmodum hic ad sacrum usum instrumentum musicum à Philistæis inventum, adhibitum fuisse, & ad tabernaculi exstructionem spolia Ægyptiaca Exod. 35, 21. ad Levitarum sustentationem & tabernaculi exornationem spolia à Midianitis parta Num. 31, 28. 30. 50. Argentum, aurum, instrumentaq; ferrea & ærea, quæ fuerant Hierichuntis civium, in thesaurum domus Dei Jos. 6,

Rebus quibus impij abuntur, nos rectè utamur.

Dei Jos. 6, 17. 18. 23. ab Israelitis collata & à Davide prædam ex hostibus reportatam domui Dei consecratam legimus 2. Sam 8, 11. 1 Chron. 18, 11. & 26, sic nos etjamnum piè ijs, quæ à Philosophis Ethnicis ex luce naturæ sunt rectè inventa & tradita, ad ædificationem & non ad conturbationem Ecclesiæ, uti possumus: Et quemadmodum Paulus navi idolatrarum Act. 28, 11 Sic nos etjam bonâ conscientiâ, aris, quæ superstitioni Pontificiorum inservierunt, uti possumus, cum omnia munda sint mundis, Tit. 1, 15. Rom. 14, 20.

Ex v 2] I. Refutantur Stoici, qui omnibus affectibus hominem carere volunt, cum tamen admiretur hic Psalmista Dei magnificentiam, & nos opera Dei cum admiratione suspicere ac admirari jubemur Esa. 29, 9. Hab. 1, 5. exemplo piorum Christi parentum Luc. 2, 33. cognatorum Zachariæ Luc. 1, 63 Mosis Act. 7, 31, imo Christi ipsius Mat. 8, 10. Marc. 6, 6. qui etjam tristis fuit Matt. 26, 38. Joh. 11, 33. timuit Marc. 14, 33. iratus fuit Joh 2, 17. III. De magnificentia Dei maxima Esa. 28. v. 29 Jer. 32, 19. qui est magnificus sanctitate Exod. 15, 11 magnificus in alto Jehova Ps. 93, 4. Cum enim magnificentia sit virtus magnorum Regum ac Principum peculiaris, qui magnis sumptibus ingentia ædificant palatia. maximum famulorum alunt numerum, suisq; dona conferunt amplissima: Merito hic titulus soli Deo competit verè, qui exstruxit potenti suo verbo, totum hunc mundum & quicquid est in eo Gen. 1, 1. Ps. 148, 5. Cui assistunt & ministrant millia millium sanctorum angelorum Dan. 7, 10. eumq; laudant Esa. 6, 3. Psal. 103, 20. quiq; illis & nobis æternam confert beatitudinem Matt. 18, 10. Ebr. 1, 6. Dei Magnificentia.

Hinc oritur didascalia, quia ita magnificus est Deus, meritò ab omnibus celebratur 1. Chron. 16, 24. 25. Ps. 86, 9. 10. ac invocatur Nehem. 1, 2. Ps. 79, 11. Παρέκλησις, ne metuamus hostes.

hostes nostros Deut, 7, 21. Nehem. 4, 14. Neq; ipsum diabolum 1. Joh 4, 4. Joh. 10, 29. Επανόρθωσις, *ne quis homo videatur sibi magnus Esa. 40, 15 16 Dan. 4, 37. Luc. 16, 15.*

Evangelium est in toto mundo prædicatum,

Discimus, quemadmodum in V. T. fuerat prædictum, fore ut Evangelium de Christo, in totum terrarum orbem spargeretur Esa. 54, 13. Jer. 31, 33. 34. Ita etjam suo tempore hoc esse completum Rom. 10, 18. Ebr. 8, 9 seqq 2 Cor. 3. 6. Joh 6, 45. 1. Cor. 1, 7. cum Christus suos discipulos in totum mundum emisit, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ Marc. 16, 15. voluitq; idipsum annunciari, ut omnes ubiq; pœnitentiam agerent Act. 17, 30. adeò ut etjam Paulus scribat Col. 1, 6. 23. Evangelium esse in toto mundo, imò omni creaturæ rationali, quæ est sub cœlo, prædicaum in N. T. quod in veteri præcipuè Judæis proponebatur Ps. 147, 19. 20. Esa. 49, 3. Matt. 10, 6. & 15, 24. Act. 13, 46. Refutantur hinc Calviniani, qui docent, Deum nolle omnes homines vocari ad societatem regni cœlestis.

PARS POSTERIOR.

Vers. 3. CONfirmatio, *quæ est altera & potior hujus Psalmi pars argumenta enumerat, quibus probatur merito Dei nomen magnificè prædicari, Evangelijq; propagationem, cum admiratione esse suspiciendam. Desumuntur ea à persona 1. Dei patris, qui non tantum filium suum unigenitum dedit mundo Joh. 3, 16. sed & illi omnia, qua homo Matt. 11, 27. Ut ita ab hoc autore Evangelij prædicatio merito dici possit magnifica, cum is se in eo revelet, non tantum quod sit* Jehova *omnium rerum Dominus ratione creationis, quibus, cum ipse fuisset ab æterno, sit & futurus in æternum Apoc. 1, 8. & 21, 6. & 22, 13. in tempore dedit ut existerent vide Ps. 3, 2. & 7, 1. sed etjam* Dominus noster *ratione redemptio-*

redemptionis, quàm præstitit per filium Luc. 1, 68. & justificationis, quàm per eundem efficit Rom. 8, 32. in Christo mundum reconcilians sibiipsi, non imputans eis peccata, cum posuit in Apostolis sermonem reconciliationis 2. Cor. 5, 18. 19.

II. A persona eorum, quibus in N. T. prædicatur illa Dei εὐδοκία, *qua jam homines in filio prosequitur Luc. 2, 4. Matt. 3, 17. Non enim amplius vera de Deo doctrina finibus Judææ includitur Matt. 10, 5. 6. sed in totum terrarum orbem diffusa* in tota hac terra, *quanta quanta illa est, revelata est Rom. 10, 18. Col. 1, 23. Merito igitur etjam hac ratione Dei nomen magnificum est, quod non exiguis includatur terminis, sed in tota terra, sub toto cœlo, ab omnibus gentibus audiatur Act. 1, 8. & 2, 5. Matt. 28, 19.*

III. A persona eorum, per quos in omnes terræ partes disseminata est hæc de Christo concio. Ex ore *& testimonio* (*Ita enim hæc vox accipitur Num. 3, 16. Matt. 18, 16.*) infantium (*hebraicè* עוֹלְלִים *qui sunt pueruli lactentibus majores, qui quidem jam incipiunt, sed tamen nondum norunt rectè fari; Unde græcis* νήπιοι *appellantur, suntq; qui ab hac Radice* λαλεῖν, *& germanicum* Lallen *deducunt, quod in medio relinquo, quiq; nondum possunt firmiter incedere, sed pedibus manibusq; nitentes aliquid puerorum more agunt: Unde ab* עוֹלֵל, *id est, fecit, operatus est, nomen habent, quò facit, quod apud Chaldæos* עֲלַל *significat ingressus est, Dan. 2, 16. & 5, 10. & 4, 4.*) & lactentium, *uberaq; matris adhuc sugentium,* fundasti robur, *hoc est, interprete Evangelista,* κατηρτίσω αἶνον, *quod quidem ab illis, quæ sunt in textu hebræo* יִסַּדְתָּ עֹז *discrepare videtur: sed si quis rectius inspiciat, optimè convenit: In verbo enim hebræo* יָסַד, *quod propriè* θεμέλιον καταβάλλειν *significat, & de creatione rerum firmissimarum usurpatur Ps. 24, 2. & 89, 12. hoc loco in Pihel occurrit signi-*

Os id est, testimonium.

עוֹלֵל.

יָסַד,

 ficatione

ficatione magis intensa, est metalepsis & notat rem firmissimam ac fundatissimam solidissimè struere, ne collabatur, ut in fabris domum ædificaturis fundamenta magna studio locantibus videre est. Cui significationi optimè respondet verbum grœcum καταρτίζειν, hoc est, perficere Ebr. 11, 3. & 13, 21. Vel artificiosè primum coagmentando Ebr. 10, 5. Vel instaurando quod à suâ perfectione defecerat Gal. 6, 1. 1. Pet. 5, 10. Mat. 4, 21. ἄρτια siquidem grœcis sunt, quæ perfectam suam habent constitutionem; & κατηρτισμένος perfectus Luc 6, 40. 1. Cor. 1, 10. ἴν vero sæpe etjam in scriptura laudem seu gloriam designat Ps. 118, 14. & 29, 1. & 96, 7. Exod. 15, 2. Unde etjam in hoc Psalmo, quo Dei gloria celebratur, in eâ significatione accipi potest: Inprimis cum de gloria illa loquatur, quæ Deo debetur ob revelatum Evangelium, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. 1, 16. & licet videatur mundo infirmum, tamen hominibus longè fortius est 1. Cor. 1, 25. Sensus igitur est, quod Deus laudem nunquam intermoriturum sibi paraverit, cum Filium suum misit in mundum, perq; eum Apostolos & horum successores homines illumnavit & salvare credentes constituit. Per parvulos enim & lactentes non tantum proprièintelligit eos, qui tales sunt τὰ ἔτη, sed etjam, qui sunt τὰ ἤθη Matt. 18, 3. Marc. 10, 15. simplicitate puerulis similes, mentibus vero adulti & perfecti 1. Cor. 14, 20. quales revera fuerunt Apostoli, qui simplici fide dogmata à Christo proposita susceperunt Matt. 11, 25. ac lacte verbi divini more puerulorum se potari & ali passi sunt 1. Cor. 3, 1. 1. Pet. 2, 2. Atq; ita simul instrumentalem causam & principalem efficientem in Evangelij manifestatione distinguit psaltes: Illa est Apostolorum ministerium: Hæc ipse Deus, qui Evangelium ac præconium JEsu Christi mysterium æternis temporibus tacitum, in N. T. præcipuè manifestavit & per scripturas Propheticas ad obedientiam

id est, solidissimè struere.

Καταρτίζειν.

Ἄρτια.

ἴν

Parvuli & lactentes quinam hoc loco,

dientiam fidei omnibus gentibus notificavit Rom. 16, 25.

IV. Argumentum deducitur à persona eorum, ad quos compescendos hæc adhibetur concio: Cum enim isti Apostoli ac parvuli sapientes quidem in bono, simplices vero in malo, sint ij, sub quorum pedes Deus pacis conterit Satanam Rom. 16, 19. 20. hic etiam vicissim ex odio, quo erga Christum ejusq; membra flagrat Gen. 3, 15. omnibus modis illos & Ecclesiam, quam ipsi ædificant super Christum Matt. 16, 18. 1. Cor. 3, 10. oppugnabit Eph. 6, 12. Apoc. 12, 7. 17. tam ipse 2. Cor. 4, 4. quàm ejus organa, quæ vel vi contra eam insurgunt, ut tyranni, vel fraudibus & falsa doctrina, ut hæretici Matt. 13, 28. 1. Reg. 22, 21. seqq. 2. Cor. 11, 13. 14.

Diabolus odit Ecclesiam, eamq; affligit.

Hac de causa psaltes ait, firmiter fundasti, ô Deus, laudem ex Evangelij prædicatione orituram Ps. 87. 1. 2. propter angustatores tuos, qui sunt gentes & nationes terræ seu populus Judaicus initio N. T. Inprimis vero sequentibus seculis tyranni, principes & reges terræ Ps. 2, 1. Act. 4, 27. qui dum putant se tantum miseros istos parvulos prædicantes & recipientes Evangelij doctrinam affligere Joh. 16, 2. 3. Act. 22, 9. 10. 11. Jehovam ipsum & Christum ejus persequuntur Act. 9, 4. Ps. 2. 2. ac quantum in se est, angustant Ps. 3, 2. Joh. 16, 33. Surge igitur Jehova in ira tua & exalta te contra furores angustantium te Ps. 7, 7. ad compescendum (hebraicè לְהַשְׁבִּית ut cessare facias, & à cœpto volentes nolentes desistere cogas, vel convertendo morigeros, vel perdendo obstinatos 1. Cor. 1, 27. Esa. 29, 14.) inimicum & ultorem sui.

Inimicus.

Per inimicum κατ' ἐξοχήν plerique interpretes notari volunt ipsum diabolum, generis humani hostem infensissimum, qui propterea apud hebræos in V. Testam. שָׂטָן apud græcos in N. T. ὁ ἐχθρὸς per ἀντονομασίαν sæpe dicitur: Vel hebræa voce

שָׂטָן.

leviter inflexa ὁ κατανύξις vocatur Job. 1, 7. 8. 9. 1. Chron. 21, 1. Zach. 3, 2. 3. Matt. 13, 39. Luc. 10, 19. Matt. 12, 26.

Per ultorem sui significari volunt hæreticum, qui seipsum & alios, qui ipsum audiunt in æternum præcipitat exitium, vindictamq; Dei in se excitat, ut & Apostolus loquitur Tit. 3, 11. αὐτοκατάκριτος ὢν, & cujus finis erit secundum opera ipsius 2. Cor. 11, 15. 2. Tim. 3, 6. seqq. Rom. 2, 5.

V. Argumentum, idq; præcipuum & prolixius tractatum, desumptum est à persona ejus, cui collata est illa majestas & supercœlestis gloria in toto terrarum orbe ab Apostolis eorumq; successoribus deprædicanda. Continetur id proleptice, & breviter indicatur in fine v. 2. eò quod exponis supercœlestem decorē tuū: Hebr. אֲשֶׁר תְּנָה הוֹדְךָ עַל הַשָּׁמָיִם, quæ verba propter enallagen modi, & modum loquendi peculiarem obscuriora videri poterant: sed si quis psalmistæ scopum, lucem in N. T. à Christo & Apostolis huic loco allatam, & deniq; linguæ sanctæ idiotismos consideret accuratius, satis sunt manifesta. Nam quod vulgatus interpres ex LXX. vertit, quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos, & ex Bellarmini sententia rectè, non probamus, quippe qui vim textui facit, dum & verbum activum passivè accipit, & magnificentiam Dei essentiale attributum simpliciter intelligit contra scribentis intentionem. Non enim propositum fuit psalti celebrare Deum à magnificentia divina, quæ ipsi ex natura competit, sed ab ea majestate divina, quam Christo homini communicavit per unionis gratiam, quamque per Evangelium in totum mundum divulgandam curavit.

Quis sensus verborum, propter dare decorem tuum super cœlos.

Patet hoc 1. ex eo, quod Christus suo humili in urbem Hierosolymam ingressui versum hujus Psalmi accommodat tertium Matt. 21. 9. 15. 16. 11. Apostolus 1. Cor. 15, 20, 21. 27. ex hoc Psalmo probat Christo secundum eam naturam, qua

pro no-

pro nobis mortuus & resuscitatus est, omnia à Patre esse subjecta: Atq; ita Christo homini communicatam esse majestatem divinam per unionis gratiam, quæ τῇ λόγῳ erat propria per essentiam. III. Epistola ad Hebræos c. 2. disertè explicat hanc esse illam gloriam, quæ Christo homini data est à Deo, cum paulò inferior factus esset angelis propter passionem mortis: postea vero gloria & honore coronaretur v. 6. 7. 8. 9. Porro tantum abest ut verba textus nobis reclament, ut potius nostram sententiam stabiliant quàm maximè: Notius enim est, quàm ut probari debeat, Relativum אֲשֶׁר *sæpè pro conjunctione causali per ἀντιμετάληψιν usurpari Gen. 39, 9. 23.* Buxtorff. Thes. 300. 541. 549. תְּנָה *est infin. Kal. cum* ה *paragogico à fine à Rad.* נָתַן, *id est, dedit, hoc loco, per enallagen modorum hebræis frequentissimam positus pro præterito* Buxt. p. 95. & 465. Jun. l. 3. Gram. c. 7. אֲשֶׁר.

Deniq; הוֹדְךָ עַל־הַשָּׁמַיִם *vel dicitur per ellipsin relativi frequentissimam, ut sit sensus, gloriam tuam quæ est super cœlos, hoc est superior, melior & præstantior ipsis cœlis, vel super cœlestis (ὑπερφάνιος)* Buxt. p. 374. & 334. *Vel ex elegantijs linguæ sanctæ est, ut pro adjectivo periphrasticè usurpetur substantivum præcedente præpositione; de quo genere elegantiarum vide* Buxt. Thes. p. 308. 309. 332. 333. *Quid? quod nec in N. T. hoc loquendi genus hebræum sit inusitatum,* ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *id est, panem cœlestem vocat Johannes c. 6, 31. &* κύριον ἐξ οὐρανοῦ *Dominum cœlestem appellat Apostolus 1. Cor. 15, 47. Concludimus ergo sensum horum verborum esse; eò quod* dare, *id est, tu Deus das decorem tuum supercœlos, id est, decorem supercœlestem & divinum homini istimiscro, de quo paulo post in* Ἐξηγήσει.

Ex grammatica hac & nativa vocum significatione magna huic loco lux affertur, in quo notanda sunt tria 1. Quis det; quod Quis det?

det, quod ex præcedentibus liquet, videlicet Jehova Dominus Deus noster, Pater Domini nostri JEsu CHristi, quæ tamen una persona divinitatis nominata, reliquas non excludit: Pater enim quia fons est Filij & Spiritus Sancti ipsi peculiariter hoc tribuitur, quod est omnium trium personarum commune.

Cui det. II. Cui det, quod ex sequentibus patet v. 5. 6. nempe Filio hominis, unde nata est illa verissima antiquitatis regula: Quicquid dicit scriptura datum esse Filio Dei, Christo θεανθρώπῳ in tempore, secundum humanitatem dicit, non Deitatem.

Quid det. III. Quid det, nempe non dona aliqua creata & finita: sed quæ sint ipsius Dei, ac ipsum cœlum, opus Dei maximè stupendum & mirabile, suâ præstantiâ longè, imò infinitis modis superent, hoc est, divina, infinita & increata. Quæ duo posteriora hic contra Calvini anos breviter quidem, sed probè observa.

Deniq; cum verbum נָתַן non tantum dare, sed etjam alijs exponere, quæ data sunt, significat, metalepticè unum vocabulum utrumq; significat, videlicet, quod Christo homini divina illa propria sint communicata Matt. 11, 26. & 28, 18. Luc. 1, 33. ac in Evangelio, quod indedicitur δωρεὰ ἐπουρανίου Ebr. 6, 4, κλῆσις ἐπουρανίου, Ebr. 3, 1. dona verò cum & in eo nobis oblata τὰ ἐπουράνια Eph. 2, 6. & 1, 3. ab ipso Christo & Apostolis tum ad salutem nostram Coloss. 1, 19. seqq. & 2, 9. 10. Rom. 16, 25. Joh. 17, v. 4. 6. tum ad Dei gloriam inde magnificè prædicandam præstita Phil. 2, 9. seqq. Eph. 1, 3.

Vers. 4.] Atq; hactenus quidem proleptica quinti argumenti propositio: sequitur uberior ejus expositio, quæ duplex: Primum si sensum literalem hic sequimur proprium I. per comparationem corporum cœlestium, quorum decore decorem Christo homini donatum longè præstantiorem dixerat v. 2.

Quando

Quando respiciam, *hoc est, respicere soleo, ex idiotismo linguæ sanctæ, in quâ futurum in generalibus sententijs pro tempore præsenti accipitur* Buxtorf. Thes. p. 91. *hebraicè* אֶרְאֶה *à Radice* רָאָה, *id est, vidit, tam oculis, quàm animo.* רָאָה. *Unde intelligimus indicari hoc loco eum adspectum cœli, qui animo præsente fit & attento, ac ab his inferioribus terrenisq; ad res superiores vel cœlestes considerandas hominem abducit. Quando igitur attentè intueor, & considero* cœlos tuos *tum quia sunt sedes tua Esa. 66. 1. Ps. 115, 18. tum quia sunt maximè mirandum opus manuum tuarum Ps. 102, 26. imò* digitorum tuorum, *quoniam & summa facilitate abs te sunt creati, & valde artificiosè conditi, ut subtilia ac pretiosa opera, quæ summi artifices non corporis robore, non manibus, sed summis digitis conficiunt. Præsertim vero cum tempore nocturno, quod meditationi est aptissimum supra Ps. 1, 2. sole sub nostrum hemisphærium digresso* lunam & stellas *adspicio, earumq; varias, sed tamen certissimas motuum species perpendo & in memoriam inde regredior, quod tu eas ita creâris, quas tu paravisti, cum cœlum, quarto creationis mundi die luminaribus ornares splendidissimis (siquidem verbum* כּוֹנַן. *quod hic in Pihel extat, cum de Deo dicitur, creare sæpius significat Prov. 8, 27.* id est, creavit.

Vers. 5.] *Cum hæc corpora cœlestia tanta luce, tanta virtute prædita, ita considero, & cum ijs confero hominem multis calamitatibus & infirmitatibus obnoxium, inprimis vero eum, qui morbos nostros pertulit & dolores nostros bajulavit, Christum videlicet Esa. 53, 4. tentatum in omnibus & circumdatum infirmitate Ebr. 4, 15. & 5, 2. statim animum tacita subit hæc cogitatio: Deus bone,* quid est miser hic homo, ut sis memor ejus.

Atq; hæc quidem hactenus simpliciter interpretamur, sensu li-

sensu literali proprio, fidei analogiæ non contrario: Verum tamen si scopum Psalmistæ consideramus accuratius, nullum est dubium quin adhuc majus sub his verbis lateat mysterium, id autem est tale: Cum dixerat versu præcedente, Deum ex ore infantium & lactentium sibi paravisse laudem, perq; Evangelij prædicationem, quæ est coram mundo stultitiâ perdere ac fatuam reddere mundi sapientiam, perq; suorum Apostolorum infirmitatem mundi pudefacere potentiam 1. Cor. 1, 18. seqq. objicere poterant mundani, hæc esse vilia magnificentiæ Dei argumenta, cum plerumq; miserrima Ecclesiæ sit facies, præoccupat hanc objectionem vates regius & regnum Christi non tam in hac terra inchoatum, quam olim in cœlo consummandum vult considerari. Quando enim, ô Deus, respiciam tuos cœlos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas, quas tu paravisti. Quando videbo Ecclesiam vel olim in cœlis triumphaturam, quæ jam in terris militans contra inimicum & ultorem, est regnum Dei inter homines Luc. 17, 21. Vel eam, quæ in N. T. ex omnibus gentibus est colligenda, in qua omnia, quæ ad Evangelium de Christo spectant, longe dilucidius proponentur, quàm in V. T. Ebr. 10, 1. Rom. 13, 11. 12, 1. Joh. 2. 8. atq; in ea completa cernam digiti tui, hoc est, Spiritus Sancti dona tam in discentibus ejus membris, quæ Lunæ referunt imaginem, quam docentibus, quæ stellarum instar lucent, & illa illuminant, tum apparebit, me verè esse locutum, & minus dixisse, quam rei tantæ requirebat amplitudo.

Ac nequis longius petitam vel ab analogia fidei discrepantem hanc existimet expositionem: Videndum nunc porro est, quomodo hæc omnia in alijs scripturæ locis declarentur.

Ecclesia confertur Lunæ,

I. Enim Ecclesia lunæ comparatur Cant. 6, 9. Apoc. 12, 1 tum quod, ut hæc solis, sic illa solis justitiæ Mal. 4, 2. radijs luceat Gal. 2, 20, tum quod, ut hæc modo nova, modo cornicu-

lata mo-

lata, modo dividua, modo plena apparet, variasq; suas, prout ad solem vel accedit, vel ab eodem recedit, ostendit facies: sic hæc modo floret & plenâ luce refulget, modo oppressa persecutionum caligine obscurior visitur: sed ut Luna nunquam soli est propior, quàm cum minimè lucet: Ita etjam Ecclesia nunquam magis est gloriosa, vel magis sentit divinum auxilium, quàm cum videtur abjectissima Ps. 91, 15. Mich. 7, 7. Esa. 57. 15.

Doctores stellis.

II. Cum omnes pij viva Ecclesiæ membra lucent, ut stellæ in natione prava Phil. 2, 15. tum inprimis Doctores fulgent astrorum instar Apoc. 1, 16. 20. & 2, 1. & 12, 1. 4. Et certè olim in resurrectione mortuorum fulgebunt ut stellæ Dan. 12, 2. 3. 1. Cor 15, 40. seqq.

Spiritus S. est Dei digitus.

III. Sunt hæc Luna & stella opera digiti Dei, id est, Spiritus Sancti, qui digitus Dei dicitur Exod. 8, 19. interprete Matthæo c. 12, 28. eò quod ipsi opus sanctificationis & regenerationis, quo formamur, & ex regno Satanæ in regnum filiorum Dei transferimur, attribuitur, Rom. 1, 4. & 8, 15. Tit. 3, 5. 6. 2 Cor. 3, 6. Eph. 3, v. 16. impropriè vero in plurali numero designatur digitorum nomine propter varia dona, quæ in Ecclesia in regni cœlorum Luna & stellis suis operatur 1. Cor. 12, 1. seqq. licet ipse sit unus Spiritus Eph. 4, 4. 1. Cor. 11, 12. quemadmodum eadem de causa septem spirituum fit mentio Apoc. 1, 4.

IV. Ecclesia militans, quando æstimatur ex futura gloria, regnum cœlorum sæpissimè vocatur in N. T. & ab Esaia c. 65, 17. cœli novi. 2. Pet. 3, 13. Es 66, 22. Apoc. 21, 1.

His ita annotatis facile probari potest illa, quam attulimus, explicatio, quam tantò retinemus libentius, quod antecedentibus & consequentibus optimè congruat, & his quidem, quia nunc porro à Propheta regio per se declaratur decor ille supercœlestis, Christo homini à Patre collatus, qui cœlestem

decorem & dona credentibus in N. T. collata multis superat parasangis Declaratur vero I. ex assumptione in unitatem personæ τῦ λόγυ, & amplificatur ex miserâ conditione, in quam se nostra causa demisit: Reliqua enim corporis Christi mystici membra, licet etjam coram mundo sint contempta 1. Cor. 1, 26. 27. 28. tamen ipse Christus adeo humilem & abjectam in statu exinanitionis assumpsit servi formam Phil. 2, 7. ut fuerit cõtemptus & abjectissimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, contemptus ita ut non æstimemus illum, Esa. 37, 3. Hinc meritò David in admirationem abreptus exclamat: Jehova Domine noster, quid est miser iste mortalis Hebra. אֱנוֹשׁ, *Chaldaicè* בַּר־אֱנָשׁ *Dan. 7, 13. id est, homo miseriis & calamitatibus obnoxius Ps. 9, 21. & Job. 7, 1. seqq. à Rad.* אָנַשׁ, *id est, ægritudine affectus fuit 2. Sam. 12, 15. quem Christus ex Maria virgine assumpturus, & qui tot ac tantis calamitatibus erit subjectus in tota vita, passione ac morte: Non quidem per se, sed propter nostram salutem. Quid est iste mortalis (ex hominum judicio si eum æstimare velimus) ad te Deum collatus, ut ejus sis memor, eumq; in unitatem personæ Filij tui unigeniti assumi velis.*

אֱנוֹשׁ.

Differentia decoris Christo homini & sanctis collati.

Atq; ita prima differentia decoris Christo & reliquis sanctis hominibus collati desumitur à modo unionis, quia in Christo homine tota plenitudo Deitatis habitat σωματικῶς *Col. 2, 9. in reliquis tantum effectivè* κατ' ἐνέργειαν τῆς χάριτος, πνευματικῶς *1. Cor. 12, 11. Christo homini unita est divina* τῦ λόγυ *natura* καθ' ὑπόστασιν ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως ἢ ἀδιαστάτως *assumens eum in unitatem personæ suæ indivisè inseparabiliter & indistanter: In reliquis sanctis habitat Deus separabiliter 2. Cor. 6, 16. Jud. 16, 20.*

Secundò, Idem probatur expeculiari Dei patris erga hunc assumptum in unitatem personæ τῦ λόγυ *hominem cura, aut*

quid,

quid, *inquit*, est filius hominis. (*Hebr.* אֱנוֹשׁ *qui est homo vilis & abjectus, Psalmo quadragesimo nono, 3, & 62. v. 10. Esa. 2, 9.*) *semen illud benedictum mulieris Gen. 3, 15. & filius ejus Gen. 49, 10. puta virginis Esa. 7, 14. quæ virum nunquam agnovit Luc. 1, 34.* ut visites eum *& amoris summo gradu prosequaris. Non vero intelligit psaltes quemlibet hominem seu speciem humanam, sed tantum unum singularem, videlicet Christum, qui post incarnationem vel sexcenties in N. T. dicitur filius hominis: tum ut ostendatur, ipsum esse semen illud promissum patribus, quod ex eorum lumbis esset oriturum Ps. 132, 11. Rom. 9, 5. ut in Catalogo majorum & Genealogia ejus instituta cum à Matt. c. 1. tum à Luca c. 3. manifesto demonstratur, tum ut indicetur ipsum esse hominis, mulieris scilicet tantum Gen. 3, 15. Gal. 4, 4. non hominum duorum filium. Hic vero, ut etjam Dan. 7, 13. & Ps. 80, 18. Filius hominis per* περίληψιν *vocatur, quia Christus neq; corpus phantasticum habuit, ut erravit Marcion, sed verum, neq; id ex cœlo delatum, aut assumptum, vel ex naturâ cœlesti, vel syderea vel elementari, ut somniarunt Valentiniani & Anabaptistæ, sed corpus humanum, idq; non solum seu exanime, ut docuit Apollinaris, sed corpus & animam, partes hominis essentiales ex Maria virgine in ipsius utero, atq; adeo totum hominem assumpsit Luc. 1, 31. & 42. Rom. 1, 3. & 9, 5. Gal. 4, 4. ut merito filius hominis Matt. 9, 6. vir Act. 2, 22. & homo verus dici possit 1. Tim. 2, 5.*

Christus dicitur Filius hominis.

Περίληψις in V. T.

Vers. 6. Hanc curam Dei probat cum in statu exinanitionis, tum exaltationis Christi. De statu exinanitionis, in quo quidem majestatem divinam habuit Christus homo, sed propter redemptionis mysterium plenariè non exseruit, libereq; ac volùtariè majestatis suæ usu ad tempus se abdicavit, ita loquitur: Deficere eum fecisti parum à Dijs (*hebraicè* מֵאֱלֹהִים) *quod vel*

Status exinanitionis.

quod vel de Deo ipso potest accipi, quando in cruce clamabat Christus: Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti Ps. 22, 2. Vel de angelis, hoc nomine sæpe appellatis, qui etjam Christum parumper in passione dereliquerunt Matt. 26, 53. & infra, quos ipse Christus se humiliavit βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον Ebr. 2, 9. Hæc autem κένωσις Phil. 2, 7. est διὰ πάθημα θανάτου Ebr. 2, 10. & ad totam quidem personam θεάνθρωπον refertur, verum secundum humanam naturam, quâ passus & mortuus est 1. *Pet. 3, 18. Atq; ita hinc patet, cum Christus fuerit homo miser & mortalis à Deo parumper derelictus, ac inferior angelis factus I. quod tempore exinanitionis fere infirmitatibus ijs, quæ consequuntur totam speciem humanam peccatricem fuerit subjectus, id quod negavit olim Hilarius. II. quod verè fuerit passus, quod negarunt ἀφθαρτοδοκῖται. III. quod fuerit verè mortuus, quod negarunt Manichæi.* Chemn. de duab. nat. in Christo cap. 3.

Status exaltationis.

De statu exaltationis hæc sonant verba: sed gloria & majestate coronasti eum: *Et conjunctio quidem (aliàs copulativa, sed hoc loco, adversativa, ut Ps. 2, 6. 10. & 3, 4) manifestam inter humiliationem & exaltationem facit antithesin: In reliquis verò verbis primum tria illa notanda sunt, de quibus supra in propositione Prophetica v. 2.*

Pater dedit Christo.

I. Quis dederit? *videlicet Pater, qui cum verbum caro fieret, plenam gratiâ ac veritate eam esse voluit Joh. 1, 14. & cum tempore passionis hunc filium pauliſper reliquerat, postea gloriosè ex mortuis resuscitavit Rom. 1, 4. c. 6, 4. & collocavit ad dexteram majestatis Eph. 1, 20. Non enim Christus sibi rapuit Phil. 2, 6. Ebr. 5, 4. 5. sed à patre suo petijt & accepit* eumq; coronavit. *Joh. 17, 1. 5. Hoc indicatur verbo Coronasti. Ut enim, si cui corona regia legitimè imponitur, eo ipso rex demonstratur: Ita etjam Christus, quando à Patre, majestate hac gloriosè coronaba-*

ronabatur & super exaltabatur, ut quam habebat per unionis gratiam, per sessionem ad dextram Dei, omnibus appareret majestas divina Rex Ecclesiæ suæ, atq; adeò Dominus omnium declaratus est.

II. Cui dederit? *significatur pronomine demonstrativo, quod tamen hoc loco relativum est, videlicet* eum, *miserum istum hominem abs te paulisper abjectum, passum & mortuum, quo pertinent duo verba sequẽtia, de quibus in membro quarto.*

Vers. 7. III. Quid dederit? *nempe gloriam & majestatem: Ne quis vero hanc explicaret de donis finitis & creatis porro (praterquam quod v. 2. supercœlestem vocavit) pluribus explicat, qua & quanta ea sit, ut inde facile cuivis pateat infinitam & divinam majestatem ei esse communicatam. Cum ei data sit divina omnipotentia, seu ut Christus explicat Matt. 28, 19. Omnis potestas in cœlo, quâ supra omnes res cœlestes, terrestres & infernales regnat sedens ad dextram Dei patris* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *Phil. 2, 10. Eph. 1, 20. 21. Et v. 7. hujus Psalmi, & in terra, qua dominium in omnia animantia, tàm terrestria, tum* domestica *& cicura, quibus utimur vel in cibo tantum, vel etjam* in labore, *Unde à juvando dicuntur jumenta, tum* sylvestria & fera *v. 8.* quàm volucria & natantia, *v. 9. quod in primo Adamo amisimus, accepit, & nobis ipsius membris restituit.*

Deinde IV. adjicitur, videlicet modus, quo hæc Christo homini data sunt. Nam quod naturam divinam attinet; Christus est Dominus rerum omnium φύσει à Patre ab æterno genitus Ps. 2, 7. Quod vero ad humanam, est etjam Dominus rerum omnium θέσει & à Patre in tempore Dominus factus Act. 2, 36. Unde psaltes ait (si vim verbi hebraei notemus) תַּמְשִׁילֵהוּ *feciſti* eum dominari operibus manuum tuarum. *Atq; ut intelligeremus omnia ei subjecta esse, praeter eum, qui subjecit* Christus Dominus φύσει & θέσει.

ei omnia, interprete Apostolo 1. Cor. 15, 27. addit psaltes, Omnia posuisti sub pedibus ejus, *ut eum superiorem agnoscant, ejusq; imperio obediant, quod adeo verum est, ut summus & ultimus hostis, mors ipsa quoq; ejus dominium agnoscat, morte Christi victa.*

Vers. 8. Atq; hactenus declarata est potestas, quam Christus à Patre acceptam sibi soli servat, tanquam Ecclesiæ capiti & Regi, qua ubiq; in medio inimicorum potenter dominatur & suos defendit Ps. 110, 2. sequitur illa, qua regnat in hac terra, præsertim in animantia, cujus nos sua membra reddit participes. Quod enim olim Adamo & nobis in ipso, tanquam humani generis stirpe, à Deo in hæc omnia concessum est dominium, in ipso lapsu perdidimus: In Christo vero, altero Adamo, recipimus.

Declaratur hoc κατὰ μερισμὸν *paulò ante indicatum, & satis dilucidè in textu expositum, ut non immeritò miremur, quo vertiginis spiritu abrepti Pontificij textum adeò perspicuum suis commentis obscurare voluerint. Sunt enim, qui ita exponunt:*

Pontificiorum glossa refellitur.

1. *Indicatur his verbis potestas Christi, ejusq; in terris vicarij Pontificis Romani, & ea, quæ se extendit ad terrestria, per oves, boves & pecora campi: Quæ ad cœlestia, per volucres cœli: quæ ad infernalia, per pisces maris.*

2. *Sunt qui hoc modo interpretantur, indicari hic per oves fideles subditos: Per boves, prælatos: per bestias agri, infideles: Per aves, angelos, qui in sublime feruntur & canunt Dei laudes. Per pisces maris, dæmones, qui habitant in profundissimis locis, & ad laudes Dei sunt magis muti quàm pisces.*

Ineptè, inquam, utriq; & præter scopum Psalmistæ, qui tantum hic de dominio Christi hominis agit, quod suis membris in animantia concessit, ut jam purificatis fide & mundis omnia sint munda Act. 15, 9. Tit. 1, 15. Qua de re vide Act. 10, 11. seqq. Rom.

seqq. Rom. 14,7. 8. Exemplum vero, quomodo ipse Christus, etjam in statu exinanitionis, dominatus sit piscibus maris, suppeditat historia Luc. 5, 4. (Joh. 21, 6.) descripta. Et post resurrectionem.

In versu 9. per vocem hebraam יַמִּים *propriè dictum mare seu oceanum: per* יַמִּים *vero ex usu sacræ linguæ omnia flumina, stagna, rivos, lacus Gen. 1, 10. intelligimus. Unde in N. T. stagnum Genesareth Luc. 5, 1. sæpius mare vocatur Marc 5, 13. Matt. 4, 18.*

Vers. 10.] *His ita expositis David propositionem repetit:* Jehova, Domine noster, quàm magnificum est nomen tuum in universa terra. *Q. d. Quæ omnia cum ita sint, videlicet Evangelium de Christo in totum terrarum orbem mirabiliter sparsum, Christus ipse tu homo miser paulisper abs te derelictus, sed gloria supercœlesti, imò omnipotentia divina donatus, & ab hoc vicissim pij, cum alia dona spiritualia: tum dominium in animantia acceperint, meritò in principio hujus Psalmi exclamavi: Jehova Domine noster, &c.*

LOCI COMMUNES.

PRater doctrinam ex v. 2.] *I. quod Jehova sit ex & per se* ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος *Apoc. 16, 5 & 1, 4 ex quo, per quem & in quem sunt reliqua omnia Rom. 11, 36 quiq; in suis promissis se esse Jehovam declarat, facitq; ut existant realiter, quæ dixit veraciter, Exod. 6, 11. seqq. & 17, 27. & 11, 10. Esa. 42, 35. seq. II. Quod sit idem non tantum Dominus Zebaoth exercituum, omnium videlicet rerum, quæ ipsi ad nutum obedire, ejusq; jussa exsequi coguntur, quales inprimis sunt angeli Gen. 32, 1. seqq. sed etjam Dominus ratione creationis Ps. 95, 5. 7. redemptionis Eph. 1, 14. Quia vero est Dominus noster, revereamur eum Mal. 1, 6. III. Quod sit universale verbi ministerium, quod Spiritus Sanctus toti mundo Christi*

Christi justitiam offert Matt. 28, 19. Act. 1, 8. seqq. & 17, 30. Luc. 24, 46. 41. IV. Christo homini majestatem divinam esse datam, id quod generaliter probatur scripturæ testimonijs, quæ non tantum gloriam ejus explicant summam, per θεόλη-ψιν *Ps. 45, 4. 5. Dan. 7, 13. Esa. 11, 1. & 61, 1. ac factam realem* μεταδίδοσιν *Matt. 11, 27. Joh. 6, 62. sed etjam sessionem ejus ad dextram Patris exponunt Ps. 110, 1. Luc. 22. v. 69, Eph, 1, 1. 20. Ebr. 8, 1.*

Ex v. 3.] *I. Quod gemitus & ploratus infantium sint Deo grati & ab eo exaudiantur Gen. 21, 17. Jon. 4, 11. Joel. 2, 16. II. De officio, conditione & qualitate ministrorum verbi, nempe ut sint (1.) vocati à Deo, cum dicitur, Tu perfeciſti. Jer. 23, 21. Rom. 10, 15. Jer. 3, 10. Matt. 9, 38. Act. 20, 28. (2.) sint simplices, ut pueri Matt. 10, 16. & 18, 3. Ne veniant in persuasorijs verbis humanæ sapientiæ 1. Cor. 2, 3. 2. Cor. 11, 6. (3.) Dei laudem unicè quærant, non suam Ps. 115, 1. 2. Cor. 2, 17. & 4, 2 1. Cor. 3, 7. (4.) Destruant regnum diaboli, Luc. 10, 18. Jer. 1, 10. & 15, 19. Tit. 1, 9. 10.*

Refutantur hinc I. Schwencfeldiani, Libertini, Enthusiastæ & similes, qui scripturam sacram & verbi prædicationem contemnunt, cum tamen sit vox Dei, qua per ministros suos loquitur Matt. 10, 20. 2. Pet. 1, 21. 2. Tim. 3, 16. 2. Cor. 5, 20. Loquuntur autem hi verba, per quæ salvantur homines Act. 11, 14. Unde ipsi Dei cooperarij 1. Cor. 3, 9. imò suo modo salvatores & salvare dicuntur, Obadi. v. 21. 1. Tim. 4, 16. Jacob. 5, 20.

II. Calviniani & Pontificij, qui infantibus baptizatis omnem fidem derogant. Beza in coll. Mompelg. Bellarm. lib. 1. de Sac. Baptism. c. 10. *Cum tamen hic dicatur Deo placere laus ab istis profecta: Nihil autem Deo placet absq; fide Ebr. 11, 6. Rom. 14, 23. 1. Cor. 12, 3.*

Ex v. 4.]

Ex v. 4.] I. Sensu literali proprio: Cœlum enarrare gloriam Dei, & opus tam insigne commendare suum artificem, Ps. 19, 1. Esa. 44, 19. & 45, 12. 18. Ps. 104, 3. Ejus namq; altitudo de magna Dei misericordia nos admonet Ps. 103, 11. Esa. 55, 9. Ejus conversio regularis, nostri officij nos commonefacit Ps. 103. v. 22. Jer. 2, 12. Luna & reliquæ stellæ probant Dei potentiam Job. 9, 4. 7. 9. & 38, 31. seqq. Amos. 5, 8. & argumentum Deum laudandi nobis suppeditant Ps. 138, 7. seqq. & 147, 4. Jer. 31, 35.

II. Refutantur hinc, cum dicuntur cœli opera digitorum Dei, qui vel ex ἀτόμοις mundum coaluisse, vel ab æterno fuisse putaverunt.

III. Ex sensu vero literali figurato: Cum admiratione esse à nobis suspicienda varia Dei in Ecclesiam collata dona. 1. Cor. 12, 1. Act. 2, 7. & 10, 45. quod facit ad humilitatem Rom. 12, 3.

IV. Ecclesiam coram mundo abjectam esse, coram Deo & pijs regnum cœlorum Sophon. 3, 12. 12. 19. Luc. 12, 32. Mat. 20, 2. Luc. 17. v. 20.

V. Omnia pios habere à Deo, nihil à seipsis, & opus conversionis totum esse opus manuum Dei Ps. 100, 3. Joh. 15, 5. 1. Cor. 4, 7. 2 Cor. 3. 5. Phil. 2, 13. Imo digiti Dei, qui est Spiritus Sanctus Luc. 11, 19. Matt. 12, 28. dans incrementum, cum plantat Paulus, & rigat Apollo 1. Cor. 3, 6. Thren. 4, 22. Zach. 12, 10. Joh. 16, 8. Hoc indicatur porro imagine Lunæ, quæ ut non propriâ luce, sed solis radijs illustrata lucet: Ita Ecclesia non suo, sed Christi, solis justitiæ fulgore coruscat.

VI. Refutantur hinc Pelagiani, qui docuerunt hominem se proprijs viribus posse ad Deum convertere: à quibus non multum abeunt Pontificij & Synergistæ, qui opus conversionis partim Deo, partim ipsi homini attribuunt: contra quos facit, quod

facit, quod textus vocat cœlos tuos, opera digitorum tuorum.

Ex v. 5.] *I. Christum esse verum hominem, vero corpore & anima humana constantem Luc. 24, 39. Ebr. 2, 14. 16. Joh. 10. 15. Matt. 26, 38. Cujus facultas altera, videlicet voluntas humana, etjam non defuit Joh. 5, 30. & 6, 38. constat ergo Christum esse hominem per omnia nobis similem, excepto peccato Ebr. 2, 14. 17. 18 & 4, 15.*

II. Eundem ob nostra peccata non tantum fuisse omnis generis miserijs obnoxium Esa. 53, 3. 1. Pet. 2, 21. 24. sed etjam se humiliasse ut servum Esa. 42. 1. Phil. 2, 6. atq; adeò, ut ferè vermis videatur, non homo Ps. 22, 7.

III. Refutatur hinc Marcion, & similes, qui verum corpus; & Apollinaris, qui animam rationalem, & Monethelitæ qui voluntatem humanam Christum habuisse negarunt.

IV. Christum esse revera filium hominis, ejusq; vilis & abjecti Luc. 1, 48. ita tamen, ut sit in terris ἀπάτως Luc. 1, 35. Hebr 7, 3.

V. Refutatur hinc Ebion, Samosatenus & alij, qui Christum ex viri & Mariæ consuetudine, more communi & secundum naturæ cursum, natum esse dixerunt.

VI. Christum esse à Patre suo cœlesti immenso amore dilectum, cum ipse sit solus verè ὁ υἱὸς ὁ ἀγαπητὸς Matt. 3, 17. Joh. 5, 20. Matt. 12, 18. & 17, 5. 2. Pet. 1. 17.

VII. De visitatione Dei duplici, gratiæ Gen. 21, 2. Exo, 4. 31. Luc. 1, 68. 78. & 19, 44. & iræ Exod. 20, 5. Deut. 5, 9. Visitare. *Ose. 2, 13. & 4, 9. 14. Est enim visitare scripturæ stylo præstare vel promissa bona, vel denunciata mala.*

VIII. De nostra indignitate coram Deo, ex animo agnoscenda Gen. 32, 10. Matt. 8, 8. 1. Sam. 18, 18. Ps. 7, 2. Chemn. p. 2. Exam: cap. 7. p. 173.

Ex v. 6.] *I. De statu exinanitionis Christi hominis, qui cum esset in*

esset in forma Dei, & Dominus omnium Joh. 13, 13. formam servi ad tempus accepit Phil. 2, 7. atq; ita seipsum exinanivit, non plenitudine divinitatis, aut donis divinis, sibi in primo conceptionis momento concessis, quod sine dissolutione unitarum naturarum fieri haud potuisset: sed usu eorundem voluntariè, & per οἰκονομίαν quandam se abdicavit, donec opus redemptionis in carne perficeret: Ita namq; in scriptura vox κενὸς & κενόω de rerum præsentium usu & operatione usurpari consuevit 1. Cor. 15. 10. 1. Thes. 2, 1. 2. Cor. 6, 1. 1. Cor. 1, v. 17. 2. Cor. 9, 3. Neq; ideò præsentia & possessio rei neganda est, si usurpatio quasi ad tempus suspendatur. Unde aliàs à Patribus ex Paulo Phil. 2, 8. vocatur status humiliationis, quæ tantum competit ei, qui est excelsus & jure se supra reliquos extollere potest, ut in natura humana Christi liquet, quæ in tantam evecta est dignitatem, ut Filij Dei sit propria & tantum non Deificata (θεοθεῖσα) plenitudine divinitatis uncta, divinæ majestatis & gloriæ per unionis gratiam particeps, angelis revera superior Hebr. 1, 4. Isdem vero propter nos factus est Christus inferior διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου Hebr. 2, 9. 10. Κενόω.

II. De statu exaltationis (ita ex Phil. 2, 8. dicto) in qua, quam hactenus servili forma occultavit infinitam majestatem Christus homo, perfecto jam redemptionis opere, plenariè usurpavit. Est autem facta exaltatio Christi per unionem, resurrectionem, adscensionem & sessionem ad dextram Dei, estq; in se una, discrimen vero est quoddam respectu graduum usurpationis ejusdem gloriæ. Nam per unionem majestatis hujus jura & possessionem, per reliqua usurpationem adeptus est: sive per illam, majestatem divinam habet κτήσει, & actu primo: per hæc χρήσει & actu secundo. Quod etjam in textu satis apertè voce Coronationis indicatur: Quando enim corona regi imponitur, in plenariam regni administrationem, quam antea

habebat jure successionis vel electionis immittitur, & regem suum omnes subditi ex signo hoc visibili agnoscunt & venerantur. Vide 2. Reg. 11. & 1. Sam. 16, 13.

Ex v. 7.] I. De dominio in omnes creaturas Christo homini concesso Ps. 110, 2. 1. Cor. 15, 25. 27. Eph. 1, 21. Hebr. 1, 2. II. De omnipotentia eidem communicata Dan. 7, 13. 14. Phil. 3, 21. Rom. 14, 9 Apoc. 5, 12. 13.

Ex v. 8. 9.] I. De dominio in animalia, quod olim in Adamo perdidimus, in Christo nobis, qui membra ejus sumus, gratiosè restituto Gen. 1, 28. & 3, 23. 1. Cor. 15, 28. Rom. 14, 6. 9. 14. 1. Cor. 8, 9. & 10, 25, 26. 1. Tim. 4, 3. 4 Unde sequitur, si mundis omnia munda sunt Tit 1, 15. quod contrà immundis (incredulis Act. 15, 9.) & impijs omnia sint immunda: Ideoq; quicquid edunt & bibunt, aut in quascunq; res dominium sibi arrogant, non habent legitimè, sed quasi per vim & raptum, cum ipsi non sint in Christo omnium rerum justo possessore & Domino, Rom. 8, 19. & 14, 23. 1 Cor. 3, 22.

Christo homini gloria supercœlestis data.

Discimus, qualis in genere majestas & gloria Christo homini, præter naturales proprietates, ac ultra dona alijs etiam hominibus tributa, sit communicata, videlicet divina & supercœlestis: Ita enim habet v. 2. Eo quod tu Deus dederis ipsi decorem tuum, & qui est super cœlos, ne quis majestatem à Deo factam intelligeret. Licet vero hæc nulla ratio humana capiat: tamen quia satis manifesta sunt scripturæ verba, decet nos in hoc mysterio φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν Rom. 12, 3. μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν 1. Cor. 4, 6. captivantes omnem intellectum in obsequium fidei 2. Cor. 10, 5. Est enim humana Christi natura evecta supra omne nomen Phil. 2, 9. quod nominatur non tantum in hoc, sed etiam in futuro seculo Eph. 1, 21. & si Apostoli radios quosdam majestatis hujus Matt. 17, 6. & Paulus fulgorem ejus ferre haud potuit Act. 9, 3. 4. & 22, 6.

& 22, 6. etjam nobis, dum sumus in terrestris hujus domus tabernaculo 2. Cor. 5, 1. non erit tolerabilis splendor ejus majestatis, ad quam natura humana in Christo evecta est. Quæ vero scriptura disertè nos docet, ea jam credamus, ut postea intelligamus, cum Christum olim de facie ad faciem videbimus, sicuti est 1. Cor. 13, 12. 1. Joh. 3, 2. Omne enim verbum, hoc est, quicquid Deus in suo verbo patefecit, non est ei impossibile Gen. 18, 14. Luc. 1, 37. quanquam nobis videatur. Non igitur hic agimus de illis donis hyperphysicis finitis & creatis qualitatibus, seu habitibus, seu formaliter humanitati Christi secundum se inhærentibus, de quibus prolixè Chemn. de 2. nat. c. 20. quæ non sunt essentialia divinitatis idiomata, sed effecta & per eam in naturam humanam ita effusa, ut in ea formaliter subjectivè & habitualiter inhæreant, Luc. 2, 40. 52. sed de illis donis, quæ sunt divinitatis attributa propria, Christo homini concessis, de quibus idem Chemn. ibid. c. 21. Unde nomen Dei factum est valde magnificum. Christus enim qui ratione divinæ naturæ est Optimus Maximus Jer. 32, 18. 19. ratione humanæ naturæ per hæc magna, imo infinita dona factus est magnus Luc. 1, 32. Act. 2. 36. ut merito Magnus Propheta Luc. 7, 16. Magnus Rex Ps. 43, 7. Magnusq; sacerdos Ebr. 7, 26. & 8, 1. vocari possit: Cum à Deo magno Ps. 96, 4. patre suo Matt. 11, 27. magnam, imo omnem accepisset potentiam Dan. 7, 13. Ps. 45, 4. 5. Quis enim non miraretur, quando ab Apostolis eorumq; successoribus audit, Christo homini, fratri nostro, divina esse concessa dona, ut nobis possit succurrere, & inde in gratiarum actionem non erumperet, quod Deus dederit tantam potestatem homini Matt. 9, 8. sunt igitur Christo homini divina propria communicata.

Si quæris, num omnia? Resp. Cum Psalte, quod dederit Omnis.

ipsi Deus suum decorem: Cum Apostolo, quod omnis plenitudo in eo habitet corporaliter. Interim hæc scriptura expressit: Omnipotentiam, omniscientiam, virtutem vivificandi, remittendi peccata, judicandi totum terrarum orbem, cultum. Quæ sunt divina attributa & supercœlestia, id est, majora infinitis modis illis donis, quæ in regno cœlorum seu Ecclesia conferuntur pijs.

Nec tamē hinc sequitur naturarum exæquatio.

Si objicis: Exæquari hoc modo naturas cum Eutyche: Resp. simpliciter negando, quod patet ex multiplici differentia, quam relinquimus cum scriptura inter duas naturas. 1. Divina natura est majestas κοινώδης: Humana ejus κοινωνός 2. Illa est ἄπονον ἐνεργητικόν: Hæc σύνεργον ἐνεργέμενον 3. Illa à seipsa & καθ' αὐτὸ: Hæc ab illa habet & κατ' ἄλλο 4. Illa τῇ οὐσία Hæc τῇ ἐξουσία. 5. Illa τῷ εἶναι: Hæc τῷ ἔχειν ἢ λαβεῖν. 6. Illa ab æterno: Hæc in tempore accepit. 7. Illa retinet semper & usq; operatur: Hæc ad tempus occultavit.

Christi omnipotentia.

II. In specie probari potest Christi hominis omnipotentia ex v. 7. Præfeciſti eum operibus manuum tuarum: Omnia subjeciſti sub pedes ejus. Quod ne quis explicaret de ijs tantū, quæ sunt in Ecclesiâ, Apostolus explicat 1. Cor. 15, 27. quod cum dicat omnia, manifestum sit, nihil ei non esse subjectum, præterquam ipsum, qui subjecit ei omnia. Omnis enim potestas Christo homini jam in cœlum ascensuro data est Matt. 28. 18. ut ipse Dominus Jesus possit subjicere sibi omnia Phil. 3, 21.

Refutantur hinc I. Calviniani, qui 1. Christo homini tantum finita & creata data esse asserunt. 2. secundum divinitatem esse aliquid Christo in tempore datum blasphemant. 3. potentiam quam accepit, solis Ecclesiæ terminis definiunt.

II. Pontificij etjam, qui cum Calvinianis realem idiomatum communicationem & præcipuè hanc μεταδίδοσιν divinæ majestatis negant. Bellarm. lib. 3. de incarn.

c. 1. & 10. ENAR-

ENARRATIO PSALMI NONI.

TItulus Psalmi noni quatuor complectitur. 1. Cum indicat, cui Psalmus hic decantandus est traditus, voce לַמְנַצֵּחַ, de qua supra in titulo Psalmi quarti. 2. Occasionem. 3. Genus scriptionis מִזְמוֹר notat, & 4. denique autorem, de quibus duobus posterioribus suprà in titulo Psalmi tertij. Restat tertium membrum, comprehensum vocibus עַלְמוּת לַבֵּן, de quibus magna est apud interpretes controversia. de quâ Musculus ita sentit: In tanta varietate eligat sibi quisque quam sequatur sententiam. Stigelius. Magna est in titulis Psalmorum obscuritas, quare si non possumus ubique verum attingere, simus contenti eo, quod à veritate non abhorret. Semper tamen θαρραλεωτάτη ἡ συνηθεστάτη ὁδός. D. Gesnerus. Reliquæ duæ dictiones admodum videntur obscuræ. Mollerus. in re dubia & incerta eligat quisque quod volet, & suo fruatur judicio. Drusius. Ego, ut in re obscura, amplius deliberandum censeo. Joh. Buxtorfius Tam variæ sunt interpretationes harum vocum, ut difficile sit optimam eligere. Incertæ sunt omnes, & considerandum est amplius. Vide etjam D. Kimchi in Lexico. Verum quia titulus rectè cognitus magnam lucem affert toti Psalmo, inquiremus modeste ulterius. Vel enim עַלְמוּת pro una voce accipiunt, vel pro duabus.

Titulus 4. notat. 1.

2. 3. 4.

De 2. controvertitur.

עַלְמוּת pro una voce habentium sententia.

Illorum primum alij dicunt notari eâ instrumentum musicum & sequente לַבֵּן nomen cantoris, cujus fit mentio 1. Chron. 15. 18. sed tum præfixum non haberet punctum ה hajediæ

hajediæ extruſi, cum hoc nominibus proprijs præfigi haut poſſit, Buxtorff. Th. p. 353. 354.

2. 2. *Alij interpretantur de initio cantici, ad cujus melodiam debuerit hic Pſalmus decantari, id quod erat probandũ.*

3. 3. *Alij exponunt* pro occultis filij, *quod ſit ellipſis præpoſitionis* עַל *euphoniæ ergo omiſſæ. Et hi quidem viciſſim in diverſas abeunt ſententias. Quidam volunt ſignificari, eſſe hunc Pſalmum orationem Davidis, quam Pater Deo effuderit pro occultis filij ſui Salomonis peccatis, ne Deus ea ipſi imputaret, ſed felicem in futura regni ſui adminiſtratione ſucceſſum clementer vellet largiri, quemadmodum Job pro occultis filiorum ſuorũ peccatis ſacrificia obtuliſſe legitur Job 1, 5.*

4. *Reliqui exiſtimant, voce filij indicari* κατ' ἐξοχὴν *illum filium Dei & hominis, de quo Pſal. 8, 5. Aut etjam illum filium Davidis promiſſum toti mundo (id quod innuere videatur* ה *emphatici extruſi punctum) cujus ſponſa eſt Eccleſia electorum, in his terris occulta, inviſibilis & abſcondita, ſive ut Bellarm. explicat: Quia tractatur in hoc Pſalmo de unico illo Dei filio, qui in carne humana deliteſcens vicit diabolum & exercitum ejus: & Apoſtolus vocat myſterium abſconditum à ſeculis Col. 1, 26. Rom. 16, 23. Eph. 3, v. 9. Quo poteſt inquit ille, reduci lectio hebraica* pro morte filij, *Chriſti videlicet.*

Oſtenditur cur de illis dubitetur.

Verum 1. *Obſtat his omnibus, quod hæc vox deſinat in* וֹת *non in* וֹת *quæ eſt terminatio pluralis numeri fœmininorum propria* Buxtorf. Th. p. 86. 1. 2. *II. Quod Bellarminus ſcribit, veriſimile eſt excidiſſe præpoſitionem* עַל *quæ exſtat in titulo Pſalmi 46, 1. Reſp. Committi ab eo fallaciam parium, cum loca ſint diſſimilia: Tum quo ad formam, quæ ibi eſt abſoluta, hic conſtructa: Tum quo ad ſignificationem, cum ibi vox ita non ſignificet occulta, ut ſuo tempore cum Deo demonſtrabitur.* 3. *Neq; 3. militat, quod ait ita legiſſe LXX. qui habent*

qui habent ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ, quorum codices sunt emendatiores; siquidem adhuc sub judice lis est, num habeamus græcam LXX. versionem. Et longè probabilius est, eam vel periisse, vel valde corruptam ad nos pervenisse, qua de re vide Witaker. de S. script. Imo ipsum Bellarmin. lib. 2. de V. D. c. 6. 4. Non agi in hoc Psalmo de victoria illa, quam Christus à diabolo reportavit, in analysi paulo post declarabitur, in sententiæ veræ confirmatione. Interim hujus opinionis falsitas vel inde satis patet, tum quod diabolus non sit אֱנוֹשׁ v. 20. 21. tum quod nec ejus exercitus gentes, à quibus ait Psalmus hic deportatam esse victoriam, easq; penitus deletas v. 4 7. 16. eò quod effudissent sanctorum hominum sanguinem v. 13. 4.

Alij exponunt juventutem candidam, per quam intelligunt Ecclesiam, quæ est virgo pulchra, Christiq; sponsa Ps. 45, 12. Ezech. 16, 9. 2. Cor. 11, 2. Eph. 5, 27. Quod licet sit verissimum, tamen his verbis non explicari constat. Licet enim עַלְמוּת Ps. 48, 15. juxta nonnullos significet juventutem, tamen quia ת est servile, nomen hoc erit generis fœminini. Buxtorff. Th. p. 77. atq; ita cum sequenti adjectivo in genere haut conveniret. Quid? quod nec forma vocis sequentis huic explicationi respondet: לָבָן enim significat candidum, non לַבֵּן. Accedit quod hæc inscriptio non satis argumento Psalmi convenit, in quo non agitur, de Ecclesiæ pulchritudine, sed de Dei paterna in eam cura. 5. Explicatio

Quæ in ea dubia.

Alij explicant: Magistro Symphoniæ virginalis seu acutæ ad medianam Q. d. decantandus fuit hic Psalmus eo sono qui est medius, & vulgo tenor dicitur. Sed præterquam quod ita duplex sit ellipsis statuenda, eaq; valde dura, exemplo & ratione caret hæc explicatio. Ut taceam ex collatione aliorum titulorum & locorum in Psalmis hinc inde exstantium, 6.

Rejicitur.

deducirectius, Psalmos hos non esse una tantum, sed pluribus conjunctis vocibus & instrumentis decantatos: Unde etjam liquet, quid sentiendum sit de eo quod

6. Strigelius & alij vocabulum עַלְמוֹת accommodant ad eam vocem musicam, quam vulgò nominamus Bassum, eò quod Bassistarum vox gravior, respectu reliquorum superiorum sit, & quodammodo abscondita, id quod verbum עֶלֶם præ se fert. Ut enim non dicam, quod nec solo Basso Psalmus decantari solitus sit, quis tunc foret sensus sequentis vocis, si dicas Basso vel Filij, vel inter? Prætereo, quod alij rectius ex 1. Chron. 15, 20. עַל עֲלָמוֹת explicent de vocibus duabus superioribus, quas vulgo Discantum & Altum nominamus, eò quod hi soni optimè virginum (hebraic. עַלְמוֹת, id est, virgines intactæ Cant. 1, 3.) vocibus referuntur.

עַלְמוֹת pro duabus vocibus habentium.

Eorum vero qui עַלְמוֹת in duas dictiones, quo ad sensum, dispescuut, non una quoq; est sententia. I. Hieronymus,

1. & quidam ex eo, de morte filij Absolonis exponunt, quemadmodum & Symmachus vertit, Θανάτου τοῦ υἱοῦ: Verum si historiam interitus illius miserabilis cum argumento hujus Psalmi conferamus ex 2. Sam. 18, 14, 15. 16. & 19, 1. seqminus conveniens hæc videtur sententia, quia 1. super mortem Absolonis dolet quam maximè: super ejus, de quo hic agit Psalmus, interitu lætatur ex toto corde & verè. 2. Exercitum Absolonis non vocaret gentes, quippe qui ex Judæis tantum constabat. 3. Ille exercitus non est fusus 2. Sam, 18, 16. Hujus hostis, de quo psaltes hic triumphat, copiæ perierunt v. 7. & 16.

2. II. Quidam volunt exponendum esse de morte cujusdam ducis hostium Davidis, quod, ut in genere dictum accipimus, ita si ipsi vocabulum בֵּן nomen esse volunt proprium, rejicimus ob rationem superius ad primam sententiam prioris classis indicatam.

III. Qui-

III. Quidam volunt per metathesin & inversionem literarum denotari Nabalem, de cujus morte gaudeat psaltes. Sed præterquam, quod careat exemplo idoneo hæc transpositio, non satis illa historia Nabalis, quæ 1. Sam. 25. descripta exstat cum argumento Psalmi congruit, in quo non de interitu unius hominis perditi, sed de integris gentibus deletis agit Propheta. 3.

IV. Sunt denique qui de morte Goliathi explicant, hoc modo: Super mori, id est, mortem) nam infinitivos apud Hebræos etjam crebro poni loco nominum notissimum est Buxtorf. Thes. p. 465. 479.) Illum, qui inter, nempe duos tantum pugnam instituí volebat, seu monomachiam uni ex Israele offerebat, ut duello hoc totum finiretur bellum. Quæ sententia omnium optima apparet 1. Quia historia illa optimè cum argumento Psalmi congruit 2. Quia expresse vocatur אִישׁ הַבֵּנַיִם, id est, vir, qui inter duos, scilicet pugnam singularem decerni postulabat (Goliath 1. Sam. 17, 4. 23, 8. 9. 10.) 3. Idem Chaldæus paraphrastes statuit, & quidam hebræi veteres. R. D. K. scribit, se in correctis exemplaribus invenisse scriptum duabus dictionibus עַד מוֹת. 4.

Neque etjam argumenta ab alijs adducta, quo minus hæc ita explicare liceat, quicquam contra nos faciunt, quæ vel sunt ex grammatica vel historia ipsa petita. Illa inveniatur, quorum 1 est, Scheva non esset sub ל, quod solet subintelligi sub ultima. 2 essent duæ dictiones. 3. Esset cholem super ר. R. ad 1. Non esse insolens in compositis, ut qnod scheva prius sub ultima intelligebatur, cum aliquid literarum à fine accedit, scriptura exprimatur, ut liquet vel in uno exemplo vocis אַלְקוֹם, id est, fortissimus, in quem nemo insurgit, invictus. Prov. 30, 31. Ad quam rem citat alios locos Kimchi, ubi dictiones similiter scribuntur teste Drusio, lib. 5. observ. c. 7. Respondetur ad argumenta contraria ex grammaticâ 1. 2. 3.

Ad 2 sunt duæ dictiones sensu, licet scriptura coaluerint & in quibusdam exemplaribus correctis, se etjam divisas scriptura reperisse, idem testatur, ut dixi. Ad 3. Est enallage seu potius ἀνπμετεία, cum infinitivus Kal verbi quiescentis media ponatur pro nomine, cujus est ista forma per ו schureck perpetua. Buxtorf. Thes. p. 211.

Ex historiâ.

Ex historia argumentum est unum petitum, idq; ex collatione versus 12. & 14. hujus Psalmi, & eorum quæ leguntur 2. Sam. 5. 6 7. quod in hoc Psalmo promittat David se Deo gratias acturum in portis filiæ Sion, ubi ipse Deus singulari præsentiæ modo habitet, quæ tamen tunc temporis, cum David Goliathum interficiebat, non fuerit in manibus Israelitarum, sed adhuc à Jebusæis teneretur.

Πρόληψις.

Verum si morem scripturæ observaverimus, quæ multa dicit per πρόληψιν, inprimis quod ad locorum nomina propria spectat, facilis est solutio: Ex hac enim insigni victoria sua de Goliatho & Israelitarum de hostibus suis potentissimis Philistæis 1. Sam. 17, 52. reportata, bene sperat futurum, ut etjam reliqui hostes populi Judaici deleantur, & inter eos Jebusæi, qui tum temporis tenebant arcem Sionis, & urbem Jerosolymorum, in qua post, jam ante occupatâ, cultus Dei institueretur, & in quam regia sedes transferretur 2 Sam. 5, 7. 9. Similia exempla vide Exod. 16, 33. Gen. 12, 5. & 13, 10. 19. Jos. 4, 19. confer c. 5. atq; in hac ipsa historia. 1. Sam. 17, 54. detulit Jerosolymam (quæ tamen nondum erat in potestate Israelitarum: 1. Chron. 15, 1.

Respondetur Bellarmino ineptienti.

Quod vero Bellarminus objicit: Goliathum non fuisse Davidis filium, ineptum est, quia neq; hoc à nobis asseritur, neq; vox בן semper filium, sed sæpè interdum significat, ut ex loco scripturæ supra adducto ex 1. Sam. 17, 4, 23. liquet, ubi cur Jod omissum, fateor me ignorare.

Conclu-

Concludimus ergo, Psalmum hunc esse Πανίκιον *super morte Goliathi, & victoria è Philistæis reportata à Davide decantatum. Quia hoc non erat postremum ex Dei miraculis, puerum inermem prosternere virum armatum & fortissimum v. 2. 1. Sam. 17, 33. 42. tum autem inimici Davidis & populi Israelitici agebantur retrorsum, corruebant & peribant à facie Dei, v. 4. 1. Sam. 17, 51. Tum Deus increpavit gentes, & perdidit improbum, qui Deum blasphemabat v. 6. 1. Sam. 17, 26 qui erat ille hostis, cujus vastitates ab illo tempore paulatim deficiebant v. 7. confer Jud. 13, 1. 1. Sam. 4, 1. 2 & 7, 6. & 18, 27. 30. & 23, 4. 5. & 28, 4. qui hostis pœna talionis cum suo exercitu afficiebatur v. 16. 17. cujus fastus erat intolerabilis v. 20. de quibus paulo post in analysi.* Probatur vera sententia ex argumento Psalmi collati cum historia.

Nunc cum constet ex his, de quo Psalmus agat, videamus ejus argumentum. *David Deo canit* Πανίκιον, *in quo gratias agit de parta à Goliatho, totisq; Philistæorum copiis victoria, quippe, quam ipsi, tanquam justo judici & hominum injuste oppressorum vindici meritò acceptam referat. Hortatur pios, ut suo exemplo Dei agnoscant beneficia, eumq; celebrent. Postea formulam precationis subjicit, qua utantur pij pro salute sua, & hostium omnium obstinatorum internecione, ut intelligant superbi, humanas vires contra Deum nihil posse.* Argumentum.

Usus est, *ut agnoscamus veram Ecclesiam, quanquam sæpe mergitur, nunquam tamen penitus submergi, sed divinitus contra injustam tyrannorum oppressionem defendi, ut inde singuli spem firmam in Deum concipiant v. 11, Dei justitiam contemplentur, eamq; cum misericordia celebrent v. 8. 9. 11. 12. seq; priorum liberationum à Deo præstitarum commemoratione confirment v. 5. 6. 16. 19. quomodo satis benè huc* Usus.

quadrant, quæ de Ecclesia in hujus Psalmi explicatione ab orthodoxis Theologis sunt allata.

Ἀνάλυσις partes 2. I.

Psalmus est ἐυχαριστικὸς καὶ ἐυκτικὸς, *cujus* partes *possunt constitui ratione subjectæ materiæ* duæ, *quarum. 1. Gratiarum actio. 2. Precationis piorum Formula. Illa est duplex, ob duplex beneficium à Deo præstitum, vel soli Davidi usq; v. 5.*

Laudatio singularis.

Vel etiã reliquis Israëlitis usq; ad v. 13. Atq; ita in priori membro est hypothesis ac laudatio Prophetæ singularis: In posteriori thesis ac piorum celebratio generalis; Illius vicissim duo sunt membra: Propositio: Celebraho Jehovam, θημονῆ *& Apostrophe ornata v. 2. 3. Cujus formula laudis per* μίμησιν *subjicitur v. 4. & confirmatio, quia exercuit jus meum v. 5.*

Et universalis.

Hujus, puta theseos, similiter etjam sunt duo membra (in textu enthymemati inclusa, unde fit ut ὕστερον πρότερον *ibidem explicentur, quæ majoris evidentiæ gratia in analysi transponi recte putamus) Propositio, eaq; bimembris I Meo exemplo pij fiduciam habebunt in Deo v. 12. 11. eumq; laudabunt: Quæ propositio tamen Apostrophe figurata est v. 12. & confirmatio, itidem bimembris, desumpta vel ab operibus & gestis Dei: Quia perdidit piorum hostes funditus v. 6. 7. Vel ab ejusdem natura, quia est æternus & semper idem v. 8. ac officio, quia est justus judex, ibidem: Quod declaratur* κατὰ μερισμὸν: *quoniam calamitatibus afficit ac perdit malos v. 9. ex ijsdem vero liberat bonos v. 10. causa utriusq; breviter exprimitur v. 13.*

II. Precatio.

Pro salute piorum.

Formula precationis piorum duobus constat membris ob petionis duplex argumentum, quorum prius est pro salute piorum, usq; ad v. 17. Posterius pro interneccione Ecclesiæ hostium usq; ad finem. Utriq; membro suæ adjiciuntur rationes: Priori, quod est: Gratiam fac mihi Deus & libera me v. 14. tum à causa finali: ut te laudem v. 10. tum anteactis Dei operibus & exemplo: Quia antea liberasti pios, quando & in impios, ipsorum

ipsorum hostes, pœnâ talionis animadvertisti v. 16. & ita tuam gloriam amplificasti v. 17. Posteriori, quod est Prophetica malidenunciatio & præcedentis membri consequens: Ergo etjamnum perdes improbos v. 18. tum ab æquo & bono: Quia non in æternũ oblivioni tradetur pauper, nec expectatio afflictorum peribit in perpetuum v. 19. tum à causa finali: quia sic, ô Deus, tuam gloriam illustras, quando ita fastum improborum conteris, ut ex tua potentia suam agnoscant impotentiam v. 20 21. Qui duo versus, quia sunt quasi epiphonema, & conclusio generalis, hinc fit, ut in initio v. 20. precationis repetatur propositio.

Summa explicationis Bellarmini.

Hæc est (salvo melius sentientium, & sua ex scriptura probantium judicio) vera hujus Psalmi sententia: quæ si cui non placuerit, videat num malit hanc allogoricam Bellarmini ex patribus conscriptam explicationem. Laudat psaltes, inquit, (ut prolixa ejus commentaria contraham) Deum propter opera mirabilia, inter quæ præcipuum fuit redemptio generis humani, quâ continentur omnia Dei beneficia v. 2. 3. Vers. 4. incipit narrare victoriam Christi contra Diabolum & satellites ejus, & loquitur in persona totius Ecclesiæ, q. d. cum converteretur inimicus meus diabolus, tunc reliqui ejus satellites, mors, infernus 1 Cor. 15, 55. cognitâ fugâ ducis dilapsi sunt ac infirmati, de quo judicio diaboli loquitur Christus Joh. 12, 31. nunc princeps hujus mundi ejicitur. v. 5. reddit causam hujus fugæ, quia tu Domine JEsu Christe, fili Dei absolvisti causam & litem, quæ erat generi humano cum diabolo. Is enim propter peccata jure eos captivos detinebat, tu vero in throno crucis satisfaciens pro peccatis mundi delevisti chirographum, quod contra nos erat, triumphans de diabolo Colos. 2, 14. 15. v. 6. Post victum diabolum per crucem Christus opera Apostolorum increpavit gentes, arguens mundum de peccato

de peccato Joh. 16, 8. & eo modo perijt impius, cum videlicet converteretur, & delevit Christus nomen eorum, nempe gentium & idolorum, illas faciens Christianos, hæc prorsus abolens in æternum, ne redeant hæc. v. 7. reddit causam, cur idolatria penitus sit sublata, quia perierunt arma diaboli, ut non habeat, nec unde offendat, nec ubi se defendat: Defecerunt gladij inimici, id est, tentationes & suggestiones, quemadmodum contrà verbum Dei dicitur gladius Ephes. 6, 17. Hebr. 4, 12. quia nihil nocere possunt armatis fide Jesu Christi. Civitates vero diaboli sunt impij homines, in quibus regnat. Quomodo vero inde ejicitur, ejectus q; sit, docetur Luc. 11, 21. 22. perijt igitur memoria idololatrarum cum sonitu. Quo enim magis mundus fremebat, eò magis idolatria cadebat. v. 8. 9. Christi autem nomen & justitia manet in æternum, cui datum est omne judicium Joh. 5, 27. Act. 17, 31. ut judicet in hoc seculo omnes tyrannos, & in extremo judicio omnes homines. hinc v. 10. oritur consolatio pauperibus necessaria, non timeant amplius, quia Deus factus est eorum refugium, & tum, quando necessitas id requirit, ubi deficit auxilium humanum, incipit divinum. v. 11. hinc fiet, ut omnes pij sperent in te, ô Christe Deus, quia non derelinquis quærentes tibi placere. v. 12. Laudate igitur pij verum Deum, qui habitat in Sione, cum habitant idola in suis delubris, annunciate ejus opera mirabilia, facta in redemptione generis humani. v. 13. Occurrit tacitæ objectioni, si Dominus est refugium, quî ergo tot pij ac martyres occiduntur? R. Deus non obliviscitur, sed requirit sanguinem eorum. Quod cum ita sit, v. 14. ostendit, quomodo prædicandum sit, dicant igitur pij, miserere mei, vide afflictionem meam, quia hoc tuum est officium, & antè præstitisti, exaltans me de portis mortis. v. 15. ut enarrem tuam laudem olim in cœlesti Hierusalem, cujus typus fuit terrestris in arce Sion v. 16.

Sion v. 16. quia gentes videbo tum perditas in inferno in magno cruciatu, quem mihi parabant. Nihil mihi nocuit aperta persecutio Diocletiani, nihil occulta Juliani v. 17. hinc tuum nomen notum est Domine, quod judicaveris rectè, & hæc jam meditabimur liberè in cœlis semper v. 18. revertantur jam dictâ sententiâ impij in infernum, unde venerunt, quia ex patre diabolo fuerunt Joh. 8, 44. Matt. 25, 34. omnes oblivi Dei v. 18. quia hoc justitia Dei requirit, ut tandem bonis benè, & malis malè sit 2. Thess. 1, 6. 7. v. 20. Exsurge idcirco Deus, & compesce gentes in hoc mundo v. 21. constitue illis legislatorem, nempe JEsum CHristum.

Hactenus summa explicationis Bellarminianæ, quam libuit adducere, ut cordatus Lector bibliorum judicium faceret. Nunc pergo ad Psalmi hujus uberiorem enarrationem.

PARS PRIOR.

Vers. 2. 3.] IN *propositione laudationis Prophetæ singularis notandæ sunt inprimis duæ figuræ Rhetoricæ ad ardorem animi significandum adhibitæ:* Επιμονὴ *& Apostrophe. Illa apparet, cum in quintuplici ipsius prædicati periphrasi, tum ex determinationibus eidem adjectis. Hæc cum in Dei nomine proprio & essentiæ, tum attributi ac pronominibus cernitur:* Jehova, *inquit, (de qua voce supra Ps. 1. 2, & 7. 2. & 8. 2.) qui es* excelsus *Ps. 7, 18.) & propterea ab omnibus creaturis meritò laudandus Ps 47, 2. 3, 11.* celebro te, *ago tibi gratias (hebraicè,* confitebor) *Ps. 6, 6. & 7, 18. non inpræsenti tantum, sed etjam agam posthac quamdiu fuero Ps. 146, 2. id quod futuri temporis verbum hoc loco innuit, ut dictum est supra Ps. 1, 2. & 8, 4. Ago vero gratias non ore tantum aut labijs Esa. 29, 13. Matt. 15, 8. nec corde duplici Ps. 12, 3. sed* ex toto animo meo, *integro & sincero cordis animi atq;*

omnium virium, ut in hac imbecillitate fieri poteſt, affectu Deut. 6, 5. quia accuratè enumero ac enarro *(hebraicè* אֲסַפְּרָה *de cujus emphaſi ſupra Pſ. 2, 7. infra v. 15.) mihiq́ & alijs in memoriam revoco, non tantum mihi, ſed etjam alijs pijs præſtita beneficia, atq́ adeò* omnia, *quippe quæ ſunt* mirabilia tua, *quibus miraculosè tuos ex malis liberaſti, non per humanas virtutes, robur aut induſtriam ſed potentiâ tuâ, putâ illa, quæ ſunt revera nobis* נִפְלָאוֹתֶיךָ, *id eſt, mira & occulta, à Radice* נִפְלָא *mirum & occultum fuit, quia in calamitatibus nobis conſtitutis evadendi occulta eſt ratio 2. Chron. 20, 12. tu autem præter omnem exſpectationem eam facilè invenis, quippe cui omnia ſunt notiſſima. Ideoq́ tibi merito damus gloriam Pſ. 115, 1. & 124. v. 1. Hinc oritur lætitia in corde & tanta, quæ ſe etjam exterioribus prodit geſtibus, ut* læter & exultem in te, *quia inde didici confidere in te, non in me aut ullis præſidijs humanis (de vocibus heb.* עָלַיִךְ שָׂמֵחַ *dictum eſt ſupra Pſ. 4, 8. & 5, 12.) neq́ tantum læter in corde aut geſtiam corpore, ſed etjam cantem voce, imò pſallam, quam fieri poteſt artificioſiſſimè, ut emphaſis verbi* אֲזַמְּרָה, *de quo verbo ſupra Pſ. 3, 1. & 7, 17. infra v. 11. innuit,* pſallam *vero* nomini tuo, *quippe in quo Goliathum adortus victoriam imbellis & inexercitatus puer Pſ. 144, 1. ab hoſte immani, & milite exercitato reportavi 1. Sam. 17, 33. 39, 45. Ex quibus etjam liquet, quàm pulchra in hac* Παρονομασίᾳ *ſit climax, figura Prophetæ regio valde familiaris, &, ad affectus ſerij magnitudinem exprimendam, perquàm idonea Pſ. 1, 2. & 2, 1. & 5, 6. 7. 12.*

Verſ. 4.] *Propoſitioni hoc modo ſatis dilucidè & copioſè expoſitæ formulam laudis, qua potiſſimum uti ſoleat per quandam* μίμησιν *ſubjicit. Q. d. Cum te Deus ita celebro in hæc verba prorumpere ſoleo;* Cum convertunt inimici mei ſe retrorſum, impingentes corruunt ac pereunt à facie tua.

Hic enim

Hic enim est verus horum verborum sensus, quem dum constructionem & vim textus hebræi neglexit, aliquantò obscurius expressit vulgatus interpres. בְּשׁוּב *est infinitivus Kal, cum præfixo, & singularem continet hebraismum, de quo supra in titulo Psalmi tertij.* Buxt. Th. p. 517. *quam in N. T. similiter observes licet Luc. 2, 43.* ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτὸς, *id est, dum redirent ipsi, in ipso redire eos. Quod vero verbum ipsum potius neutraliter, quàm activè vertimus, eò fit quod nec nomini sequenti præpositionem adjectam videamus, ut Ps. 126, 1. 4. (quæ tamen phrasis etjam ellipticè occurrit Ps. 14, 7.) ac alias in hac constructione, & modo loquendi sæpius neutraliter occurrat Ezech. 18, 24.* אוֹיֵב *vide supra Ps. 5, 9. & 7, 6. & 8, 3.* יִכָּשְׁלוּ *est futurum Niphal: Sed hoc loco* ἀυτοπαθητικῶς, *& cum sequenti futuro rectè per præsens verti potest. Vide supra v. 2. à Radice* כָּשַׁל, *id est, ita impegit seu offendit, ut corrueret, unde offendiculum* מִכְשׁוֹל *Lev. 19, 14. Esa. 8, 14. quod græci appellant* σκάνδαλον *Rom. 9, 33. 1. Pet. 2, 7. Rom. 11, 9. & 14, 13. Vide & 1. Cor. 8, 9. 11. & 13. Verbum quod sequitur nempe* אָבַד *significat, perijt tam temporaliter & morte prima, quam æternum morte secunda, supra Ps. 1, 6. Unde* אֲבַדּוֹן *infernus Prov. 15, 11. & angelus abyssi eodem nomine appellatur Apoc. 9, 11.*

שוּב.

כָּשַׁל.

Σκάνδαλον.

אָבַד.

Causam interitus hostium indicat, esse Dei faciem & ex usu hebrææ linguæ Dei irati: Ita namq; sæpe vox פָּנִים *simpliciter posita accipienda est secundum hanc determinationem & præcipuè, cum de Deo agente cum impijs usurpatur, cujus facies non placata est ignis consumens Deut. 4, 24. Joel. 2, 3. Ebr. 12, 29. sic accipitur Exod. 14, 24. Ps. 34, 17. Thr. 4, 16. Ps. 21, 10. Lev. 20, 3. Contra vero etjam scriptura mentionem facit faciei Dei gratiosæ pijs Ps. 4, 8. & 31, 17. & 67, 2. & 80, 8. 20. Num. 6, 24. Hoc loco vero faciei Deo* κατ' ἀνθρωποπάθειαν

פָּנִים.

Facies Dei irati.

Et placati.

tributæ meminit, ut indicet, ipsum fuisse ductorem in acie, ac sua præsentia panicos hostibus incussisse terrores, quibus obstupefacti terga dederint Israelitis, ut cernere est 1. Sam. 17. v. 47. 51. 52.

Vers. 5.] *Huic propositioni, ejusq; argumento breviter exposito confirmationem subjicit v. 5. Nam tu Deus* ex ercuisti jus & causam meam, *cum hostes injustè populum tuum invaserant, quippe qui* consedisti in solio *& functus es officio, judicis, sententiam justam non tantum pronuncians justissimè, sed etjam exequens potentissimè; ô* vindex justissime, *apud quem nulla est iniquitas Ps. 5. 5, 6. 7. De vocibus heb. vide Psal. 7. 8. 9.*

Vers. 6.] *Atq; hactenus hypothesis: Ego David Deum prædico, quia me mirabiliter cõtra Goliathum, & reliquos hostes defendit ex sua gratiâ, illos perdidit ex justitia. Sequitur Thesis, cujus confirmatio ὕστερον πρότερον propositioni, quæ in syllogismo conclusionis locum tenet, præmissa est ut sit enthymema tale: Quoniam Deus justus judex, & afflictorum piorum vindex, funditus hostes perdidit: E. meritò illi Deo omnes pij confidunt, eumq; laudant.*

Confirmationis membrum prius, triplici ornatum est figura Rhetorica, duplici videlicet Apostrophe, quarum altera ad Deum perdentem hostes v. 6. altera ad hostium perditorum ducem directa est v. 7. & Επιμονή, qua prædicatum utrumq; explicatur: sic enim pergit psaltes, Tu ô Deus, qui sedes pro tribunali in maxima majestate ac gloria, cum meam solius causam ageres, meamq; contra superbum Gigantem innocentiam, tuam vero contra ejus blasphemias gloriam assereres,

Deus quomodo increpet,

simul increpasti *non nudis equidem verbis more hominum, sed reipsa more & modo plane divino, cujus verba sunt res meræ Ps. 33, 9. & 148, 5. Quò pertinet quod Aben Ezra notat in*

tat in hunc locum, verbum גָּעַר absq; ב constructum significare excisionem & perditionem Psal. 68, 31. & 119, 21. Mal. 2, 3. Cum ב constructum objurgationem seu reprehensionem denotare Gen. 37, 10. Ruth. 2, 16. Jer. 29, 27. præ tua enim increpatione ô Deus Jacob, consopitus est & currus & equus Psal. 76, 7. à tua increpatione pereunt Psal. 80, 17. cujus vim sentiunt inanimata, mare & ventus 2. Sam. 22, 16. Esa. 17. v. 13. Psal. 106, 9. Matt. 8, 26. Imò ipse diabolus Zach. 3, 1. Matt. 17. v. 18. Increpasti non unum tantum istum jactabundum Goliathum, sed gentes, copias inquam ingentes ex varijs gentibus collectas, quæ simul ac viderunt mortuum esse suum fortissimum, aufugerunt & ab insequentibus Israelitis magna affecti sunt clade 1. Sam. 17, 21, 52. perdidisti improbum illum Goliathum, qui præ cordis sui æstuante malitia quiescere non poterat, ut supra Psal. 1, 1. vox רָשָׁע explicata est. Ita vero hunc & illas attrivisti, ut resurgere nequeant, qui nomen eorum deleviſti in seculum & perpetuum. Nomen gloriam, quam apud alias gentes rebus fortiter gestis, sibi pepererant, dum populum tuum affligebant, obliterasti adeò, ut gloriosam & honorificam mentionem eorum nemo deinceps faciat Deut. 9, 14. מָחָה significat propriè absterſit, quod in exteriori superficie hærebat ut sordes in patina 2. Reg. 21, 13. lacrymæ in oculis Esa. 25, 8. Unde metaphoricè homines ex superficie terræ deleri, id est, tolli dicuntur Gen. 6, 7, & 7, 4. 23. Peculiariter vero sæpissimè in scriptura notat delere quod scriptum est Psal. 109, 13. Exod. 32, 32. 33. & per consequens deletum debitum condonare, id est, peccata deleta remittere Psal. 51, 3. 11. & 109, 14. Esa. 43, 25. Et 44. 22. Jer. 18, 23. Ezech. 6, 6. quæ omnia in N. T. voce ἐξαλείφειν Act 3, 19. Col. 2, 14. Apoc. 7, 17. & 21, 4. exprimuntur valde emphatice. Quod vero dicitur in seculum & æternum, notat quod non tantum in

מָחָה. Delere quid notet in scriptura.

Ἐξαλείφειν.

hac vita, verum etiam in futura ignominia sint notati perpetua: quippe quorum nomina sunt deleta de libro vitæ Ps. 69, 29 Vide supra v. 4.

Vers. 7.] Atq; hactenus prior Apostrophe: Videamus nunc posteriorem, quæ continet sarcasmum, quo hosti à se devicto jam insultat Propheta: O inimice, qui modo totam aciem Israelitarum perterrefaciebas, istic nunc metuende jaces: ה Interrogationis. Annon (*hæc enim est vis præfixi* ה *hoc loco* Buxtorf. in Thes. p. 352. 496. *De emphasi vero interrogationis Rhetoricæ dictum est Ps. 2, 1.*) *Annon jam* consummatæ sunt vastitates in perpetuum? *solebant enim Philistæi sæpius excurrere & vastare terram Israelitarum: Jam vero aliquantum sunt repressi, supra in titulo, nunc vero ita attriti, ut vastare amplius Israelitas haud queant, quoniam tu Deus populi tui vindex* civitates *eorum, ad quas antea in tutum se recipiebant, clade aliqua accepta, & in quibus præsidionarium collocaverant militem 1. Sam. 10. 5. & 13, 3.* exstirpasti, *funditus deleviſti, quasi radicibus penitus evulsis*

נָתַשׁ, (*id quod verbum* נָתַשׁ *propriè significat, verbo* נָטַע, *id est, plantavit oppositum. Jer. 24, 6. & 42, 10. & 45, 4. Metaphoricè vero destruere ac tollere notat Deut. 29, 28. 2. Chron. 7. 20. Jer. 1, 10. & 18, 7. & 31, 28. & 12. 14. quemadmodum contrà*

נָטַע, נָטַע *metaphoricè acceptum significat firmam habitationem concessit Exod. 15, 17. Psal. 44, 3. & 80, 9.*) *Unde factum est ut* perierit istorum, istorum, *inquam* ipsorum memoria: *Ita enim pleonasmus relativi explicandus est emphatice* Buxt. Th. p. 377. *potius quàm ut cum vulgato interprete, aliisq; nonnullis, & ellipsin præpositionis inseparabilis* ב *hic statuamus, &* הַמָּרֵ֑ה *in* הַמָּרֵ֑ה *commutemus. Nam ut taceã quod fere nullus sensus inde possit elici, hæc vox hebræa non est, nisi cum verbi significationem & naturam habet, & strepitum hebræis*

הַמָּרֵ֑ה,

tum hebræis notat הֶמְיָה *&* הָמוֹן, *non* הָמָה, *quod significat tumultuatus est.*

Vers. 8.] *Priori membro confirmationis ab operibus factisq; Dei miraculosis petito, posterius à natura Dei perpetua & officio subjicit per elegantem hostium suorum & Dei oppositionem: Illi inquit hostes nostri, qui Deum ipsum cœlo se ejecturos putabant, perierunt prorsus: At* Jehova manet & in perpetuum, *semper sibi similis Ps. 10, 16. Nam quemadmodum me & meum servavit populum; ita deinceps semper suam servaturus est Ecclesiam, ejusq; deleturus hostes: Nam* in seculum *Ps. 5, 12. id est, in perpetuum* sedet, *id est, permanet (Hebr.* יֵשֵׁב *Ps. 1, 1. & 2, 4. infra versu 12,) non otiosus aut rerum humanarum nullam gerens curam, sed* comparans *& firmiter præparans (id quod verbum* כּוֹנֵן *notat, supra Ps. 7, 10. 13. 14.)* ad judicium solium suum, *stabiliendo illud jure & justitia Esa. 9, 6. retributurus unicuiq; secundum opera sua Ps. 11, 4. & seqq. & 62, 13.* כּוֹנֵן.

Vers. 9] *Neq; est quod quisquam cogitet, se hujus judicis evasurum manus, certè* ipse judicabit totum orbem habitabilem *(hebraice* תֵּבֵל *idem quod græcis* οἰκουμένη: *per metonym. autem pro hominibus orbem incolentibus sumitur,)* justè *liberabit oppressos, perdet injustè opprimentes, ut pereant qui morte sunt digni, & in vita conserventur, quos eâ indignos judicat mundus Joh. 16, 2. 1. Cor. 4, 13. Act. 22, 22.* jus dicet nationibus in rectitudinibus, *id est, rectissimè, supra v. 5. & Ps. 7, 8. 9.* Buxt. Thes. 514. 516. לְאֻמִּים *rectè dici possunt omnes gentes, quia ab unà matre Eva ducunt originem supra Ps. 2, 1. Gen. 3, 20.* תֵּבֵל.

Vers. 10.] *Quemadmodum vero Deus justus judex malos & obstinatos punit: Ita contra benè eos remuneratur, qui ipsum colunt Ps. 58, 12. quos cruce tamen aliquando affligit, ut per*

ut per admirandas liberationes suam testetur præsentiam
מִשְׂגָּב. *Ps. 118, v. 6. 7. Nam* est Jehova edita arx, *hebr.* מִשְׂגָּב *munimentum perfugium, atq; adeò tutissimum asylum, quale loco edito exstrui solet, quò non possit pertingere hostis violentia.* שָׂגַב *enim significat extolli, superiorem esse, Ps. 46, 8. & 59, 10. 2. Sam. 22, 2. Cui vero est tale asylum Deus* ipsi tenui
דָּךְ. *hebra,* לַדָּךְ *qui non tantum à mundo pro nihilo habetur, sed etjam ab eodem varijs modis atteritur. Derivatur enim hæc*
דִּכָּא. *vox à Rad.* דִּכָּא, *id est, contrivit. Et nequis de hoc Dei pijs promisso auxilio dubitet, ob certitudinem idem repetit psaltes, certe est* arx edita, *tum cum maximè opus est* temporibus oportunis (*Hebraicè* לְעִתּוֹת *supra Ps. 1, 3. & 4, 8. quibus est afflictus* in angustia ipsa בַּצָּרָה *supra Ps. 3, 2. ubi articulus maximam habet emphasin. sic infra Ps. 10, 1. similem locutionem ellipticam reperies.*

Enallage personarum. *Vers. 11.*] *Antecedenti enthymematis ita exposito, subjicitur consequens bimembre in quo notanda est 1. personæ mutatio, quæ ex affectu novo nascitur supra Ps. 5, 7.* Buxtorf. Thes. 408. *Cum enim dixerat Deum esse præsentem in calamitatibus ac succurrere afflictis, quasi hos in rem præsentem deduceret, ad Deum & ipsos suam orationem convertit hoc modo:* Ita fiduciam habebunt in te, *quod propriè significat*
Nosse nomen Dei. בָּטַח *supra Ps. 4, 6. 9.* qui noverunt nomen tuum, *id est, te ipsum agnoverunt ac diligere cœperunt ex verbo revelato: qua de re vide Ps. 1, 6. & 4, 5. & 5, 12. & 7, 17. & certò credunt,* quod non derelinquas, *sed contrà benevolentia prosequaris ac beneficijs afficias,* quærentes te Jehova; *non*
Quærere Jehovam. *quærentes vel respicientes ad humana præsidia sed tantum in id incumbentes sedulò, ut tuam voluntatem studiosè discant, & ut potest in hac imbecillitate humana faciant id, quod hæc scri-*

hæc scripturæ phrasis denotat Ps. 14, 2. Esa. 55, 6. 7 Amos. 5, 4. 6. 14. Exod. 18, 15. Deut. 4, 29. & 12, 30. Jer. 10, 21.

Hinc se convertit ad pios, quod cum ita sit, inquit, vos pij vicissim intelligitis, vestri esse officij, ut pro his summis beneficijs vestro sospitatori agatis gratias Ps. 50, 15. Psallite, *idcirco corde, ore, instrumentis musicis, quàm fieri potest optimè, id quod hebr* זַמְּרוּ *indicat supra v. 3.* Jehovæ, *qui residet* יוֹשֵׁב, Sione *in Ecclesia, in qua non tantum adest per essentiam, sed etjam per gratiam peculiariter, summamq; opem & auxilium suis non denegat. supra Ps. 2, 6.* nunciate *& coràm exponite* inter populos res gestas ejus, *quibus & quantis bonis tum majores vestros, tum vos ipsos affecerit, ut ad agnitionem hujus veri Dei adducantur populi.*

Vers. 13.] Inprimis vero illa duo enarrate, quod Deus justus judex eos, qui pios injustè affligunt severe puniat, suos vero clementer & promptè exaudiat, quod videlicet reposcat, *diligenter inquirat & investiget* sanguinem cæde *fusum* (*ita enim vocem* דָּמִים *pro cædibus in scriptura accipi notatum est supra Ps. 5, 7.*) *in eosq; qui fuderunt, graviter animadvertat; contrà vero piorum semper* recordetur *Esa. 49, 14.* nec obliviscatur clamoris piorum afflictorum *Exod. 22, 23. sed eos eripiat ac glorificet Ps. 91, 15. Luc. 18, 7. Vel æternis bonis hæc temporalia & levia mala, quæ pertulerunt, compensat Luc. 16, 25 2. Cor. 5, 17. 18. Contrà vero eos, qui afflixerunt, affligat 2. Thess. 1, 4 siquidem fieri non potest, ut ejus clamoris, quem ipse sanguis fusus edit, obliviscatur Gen. 4, 10. Apoc. 6, 9. 10. Matt. 23, 35.* דָּמִים.

LOCI COMMUNES.

PRæter doctrinam ex v 1.] *De beneficijs Dei, unicuiq; præstitis celebrandis Ps. 3, 6.*

Ex v. 2.] *De gratiarum actione piorum Psſ. 7, 18.*

Ex v. 3] *De gaudio piorum, quale illud sit Psſ. 4, 7. 8. 9. & 5, 12 13.*

Ex v. 4.] *Impijs plerumq; contingere malum, quod ipsi alijs struunt Psſ. 7, 15. 16. 17. Eos non posse sustinere faciem irati Dei Exod. 14, 24. 25. Quantò igitur minus manus Dei vivi Ebr. 10, 31 Contra si pios tantum facies Dei præcedit, omnia feliciter perrumpunt Exod. 33, 14. cujus rei exempla sunt Num. 14, 42. 45. Jos. 7, 4. & 8. 1. Jud. 20, 21, 28.*

Ex v. 5.] *De Dei justitia Psſ. 7, 9. 10.*

Ex v. 6.] *Dei maledictiones, quemadmodum benedictiones, esse efficaces Deut. 28, 15. seqq. Exempla sunt Gen. 3, 17. Matt. 21, 19. Increpat vero Deus homines tribus potissimum modis 1. Voce legis. 2. stimulis conscientiæ. 3. pœnis & calamitatibus. De Dei irâ erga improbos & obstinatos Psſ. 7, 12 & Psſ. 2, 5. De Dei odio erga peccata Psſ. 5, 5. 6, 7.*

Ex v. 7.] *De pœnis improborum Psſ. 3, 8. & 5, 11. De impiorum memoria abolenda Deut. 29, 20. & 32, 26. Job. 18, 17. & 24, 20. Psſ. 34, 17. & 109, 15. Prov. 10, 7.*

Ex v. 8. 9] *Deum esse æternum Psſ. 90, 2. 4. & 102, 20. 28. 1. Tim. 1, 17. eundem esse justum judicem Psſ. 7, 9. 11. & 75, 8. & 82, 8. & 96, 10. 13.*

Ex v. 10.] *Eundem esse defensorem afflictorum piorum Psſ. 10, v. 14. Sophon. 3, 12. ei igitur confidant miseri & oppressi Psſ. 34. v. 3. 4. 5. Eidem soli notum esse oportunum juvandi tempus Act. 1, 7. Ne igitur eidem modum aut tempus præscribamus Judith, 8, 11. Joh. 2, 3. 4.*

Ex v. 11.] *De fiducia in solo Deo collocanda Psſ. 2, 12 & 3, 9. Quod hæc oriatur ex verbo Dei Rom. 10, 17.*

Ex v. 12] *De gratiosa Dei in Ecclesia præsentia Psſ. 76, 2. 3. 1. Reg. 8, 10. 11. Matt. 18, 20. Ambulemus ergo coram eo*

& simus

& simus integri Gen. 17, 1. quia corpora nostra sunt templum Dei 2. Cor. 6, 16.

Ex v. 13.] Quod Deus ulciscatur sanguinem piorum effusum Ps. 116, 15. & 79, 10. seqq. Exempla sunt 1. Reg. 21, 19. 21. Matt. 23, 35. Act. 12, 2. 23.

Discimus I. ex laudatione Prophetæ singulari, quænam sint piæ gratiarum actionis requisita I. ut fiat ab homine pio, qualis fuit David Ps. 33, 1. & 50, 23. ab impijs enim neq; factis seu sacrificijs 1. Sam. 15, 22. Esa 1, 13. Amos 5, 21. 22. neq; dictis gratias sibi agi vult Deus Ps 50, 16. Sirac. 15, 19. II. ut dirigatur ad verum Deum Ps. 65, 2. Patrem luminum, à quo omnis donatio bona & perfecta Jac. 1, 17. Est namq; pars cultus Dei ab ipso Deo severè præcepti Ps. 50, 15. & cum pijs precibus maximè conjuncta; Unde Paulus eam suis precibus conjunxit sæpissimè Phil. 1, 3. 4. Col. 1, 3. 1. Thess. 1, 2. III. ut sit seria ex sincero cordis profecta affectu, non in summis tantum labijs nata Esa. 29, 13. Quô pertinet indignitatis atq; infirmitatis nostræ confessio Ps. 106, 2 2. Cor. 12, 9. Dan 9, 5. 18. IV. ut sit crebra 1. Thess 5, 16. supra Ps 7, 18. V. Pro omnibus beneficijs Dei, tam nobis quàm alijs pijs hominibus præstitis instituatur 1. Tim 2, 1. tam pro donis spiritualibus Esa. 61. 10 Eph. 1, 3. quàm corporalibus Ps. 144, 1. Luc. 17, 16. Et licet assequi nequeamus, tamen quantum possumus glorificantes Dominum exaltemus Sirach. 43, 30. seqq. Exemplo Davidis Ps. 111, 1. Pastorum Luc. 2, 20. civium Nain Luc. 7, 16. discipulorum Christi Luc. 24, 53.

Gratiarum actionis requisita. 1. 2. 3. 4. 5.

II. Quænam consolationes sint cruci opponendæ ex Persona Dei, qua de re cum etjam supra dictum in doctrina generali ex parte 1. Ps. 6. & 7. petita, hîc paucis agemus I. Quod in improbos sevcrè animadvertat, vel obstinatos planè perdat; suos autem paternè tantum castiget Ps. 32, 10. & 79, 6.

Consolationes cruci opponendæ ex Persona Dei. 1.

2. & 118, 17. 18. Ebr. 12, 1. II. Quod in ipsis calamitatibus etiam paternum erga nos gerat animum, cum sit semper idem & non
3. mutetur 1. Sam. 2, 6. 7. Esa. 54, 10. Prov. 3, 11. III. quod sit eos, nos qui affligunt, afflicturus nisi resipuerint Ezech. 9, 6. Jer. 25,
4. 29. Prov. 11, 31. Luc. 23, 31. 1. Pet. 4, 17. IV. Quod libenter ha-
5. bitet cum afflicto Ps. 51, 19. Esa. 57, 15. V. Quod sit fidelis, non sinens nos tentari supra vires 1. Cor. 10, 13. sed justo tem-
6. pore auxilium ferat Esa. 49, 8. 2 Cor. 6, 2. Ps. 71, 20. VI. Quod habitet semper Sione, in Ecclesia, in verbo & Sacramentis nobis sit præsens, perque ea nos salvet Esa. 46, 3. 4. Ps. 23, 2. seqq.
7. VII. preces fidelium promptè, si non ad voluntatem, certè tamen ad utilitatem exaudiat Ps 145, 18. 19 & 119, 71. Prov. 15, 8. Rom. 8, 28. quæ omnia in textu indicantur v. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

PARS POSTERIOR.

Vers. 14.] HActenus Propheta Deum laudavit, eumq; ut laudarent pij, monuit de beneficijs præteritis: Nunc porro formulam precationis præscribit, quâ utantur pij in implorando Dei auxilio adversus angustias præsentes & futuras. Precatio Ecclesiæ. Hostes enim Ecclesiæ quia nunquam quiescunt, semper illa orat, ut servetur à Deo, hîc in persona Davidis in illa verba erumpens: Jehova gratiam fac mihi: Miserere mei, & ex gratia auxilium præsta non meo merito supra Ps. 6, 3 & 4, 2. respice afflictionem meam, ut intelligãt & sentiant hostes te vigilare, rerumq; humanarum non esse ignarum: Respice adflictionẽ illatam mihi ab oforibus meis. Ita namq; hebraissmus ille explicandus est, quo casus verbi etiam nomini verbali tribuitur Buxt. Thes. p. 336. seq. Respice exaltrans me ex portis mortis, qui me ex magnis periculis, quæ mortem minantur præsentissimam soles liberare: Per portas enim scriptura Portæ notant potestatem, sæpe

ra sæpe potestatem denotat Ps. 107, 18. Gen. 22, 17. & 24, 60. Esa. 38, 10. Job. 38, 17. Matt. 16, 18. tum quod olim judicia in ijs exercebantur per potentissimos, tum quod munitiones & propugnacula in portis collocari solent.

Vers. 15.) Huic petitioni suæ causam subjicit finalem, ut scilicet enarrem universam laudem, *non unam aliquam particulam sed totam*, tuam, *non meam aut nostri exercitus*; In portis, *id est, cœtu & congregatione honorata, qualis apud Judæos solebat esse in portis* filiæ Sion, *Ecclesiæ tuæ, quam non multò post in monte Sionis colliges, cum Jebusæos itidem in manum nostram tradideris, ut nunc Philistæos. Postquam igitur olim, ubi tabernaculum tuæ arcæ tetendero, sæpe in eo grata mente coram Ecclesiæ cœtu hanc tuam in me insignem benevolentiam recolam, hanc tuam nobis datam victoriam celebrabo 2. Sam. 6, 17. & 1. Sam. 17, 54. Respice me Deus, ut tibi gratias agam ex toto corde &* insalute tua exsultem *ut Ps. 2, 12.* (ἀγαλλιᾶν) *& 3, 9. ac dicam, re bene gesta, cum hostium impœnitentium videro exitium, quod nunc ex fide prædico.*

Vers. 16.) Demersæ sunt gentes (*imò penitus infixæ, tanquam in luto tenacissimo, quæ est verbi* טָבַע *emphasis Ps. 69, 3. 15. confer Exod. 11, 25. & 15, 4.*) in foveam *quam* fecerant, & in reti, quod absconderant, captus est pes eorum: *exitium quod nobis struebant, in ipsorum caput, te dirigente, recidit, ut nec apertâ persecutione, quam notat fovea, nec occultis insidijs, quas rete significat, nocere quicquam potuerint, atq; ita prior allegoria à venatoribus, posterior ab aucupibus sumpta est, utraq; scripturæ satis familiaris. Vide supra Ps. 7, 16. 17. Infra Ps. 10, 9. De ellipsi vero relativi, quæ est in priori membro, vide supra Ps. 4, 8.* Buxt. Thes. 374.

Vers. 17.) *Hoc ergo mirabili inexspectatoq; eventu* no-

tum se fecit Jehova *(in)* judicio *(ita namq; supplenda est præpositionis inseparabilis* ב *ellipsis apud hebræos crebra.* Buxt. Th. p. 531. *supra Ps. 2, 12.)* quod fecit *(ubi iterum ellipsis relativi occurrit, de qua modo) Intelligit vero per judicium metaleptice pœnam quam sumpsit Deus de pertinacibus Ecclesiæ hostibus, ut scripturæ phrasi vocabulum judicare pro punire, & Judicium pro pœna inflicta sæpe usurpari consuevit Exod. 6, 6. Prov. 19, 29. Gen. 15, 14. Obadj. v. 21. Johan. 3, 18. 2. Chron. 20, 12. Joel. 3, 16. Infra v. 20.* Drusius centur. 1. Miscellan. cap. 18. *cum nempe* in opere manuum suarum, *suoq; ipsius facto* illaquearetur impius; *improbus ille Goliath, qui cum me & reliquos Israelitas iret perditum, se sua blasphemia in Deum perdidit ipse: Cui cum prorsus staret sententia, non discedere, nisi nos plane consumpsisset (id quod vox* כַּף *metaphoricè hoc loco usurpata innuit Ps. 7, 4.) malum sibi suo jumento accersivit maximum Ps. 37, 14. 15. quæ certè digna res est æterna memoria,* ô res meditanda summè; *Ita enim duo illa verba hebræa* הַגָּיוֹן סֶלָה *quæ LXX. & vulg. interpres Lat. planè omittunt: Alij vero variè reddiderunt, accipienda sunt, sensu quam maximè simplici & huic loco convenientissimo. Sic explicant hebræorum præcipui commentatores, Chaldæus paraphrastes, & inter latinos Patres Hieronymus, q. d. psaltes, hæc res dignissima est, quæ imo reponatur animo, & perpetuò celebretur ad Dei laudem sempiternam.*

Judicare id est punire.

כַּף.

הַגָּיוֹן סֶלָה.

Vers. 18.) Absoluta gratiarum actionis formula quâ usurum se promittit post liberationem à Deo deinceps præstandam, redit ad petitionem. Ut enim, ô Deus, possim tibi hoc modo gratias agere, juva me, eripe me ex hostibus: Retroagantur improbi *affligentes me immerito* ad sepulchrum usq;, *ut brevi morte afficiantur; & si neq; in ultimo vitæ respuerint*

articulo,

articulo, in infernum usq; detrudantur, puniantur q; pœnis æternis, qui temporalibus corrigi noluerunt. שְׁאוֹל *enim & sepulchrum & infernum in scriptura notat Psal. 6, 6. De* ה *vero locali in fine adjecto hoc loco per pleonasmum, vide* Buxt. Th. p. 298. Et 532. *Decidant de consilijs suis pessimis illi inquieti improbi, imo* omnes gentes *impiæ* oblitæ *veri illius* Dei, *quæ cum ex naturæ libro, creatione scilicet mundi, operibusq; in eo mirabilibus Deum agnoscerent, tamen ut Deum non glorificaverunt, & ad vanitatem in suis cogitationibus redacti sunt, ut obtenebraretur cor eorum intelligere nescium, atq; ipsæ notitiam Dei ex natura in se reliquam sua culpa prorsus exstinguerent, & Dei sibi natura noti, prorsus obliviscerentur Rom 1, 18. seqq. & 2, 14. 15. Oblivisci enim nemo potest ejus, cujus nullam unquam habuit cognitionem. Obliviscitur autem Dei* κατ' ἐξοχὴν *dicit scriptura, cum animus hominis rerum successu elatus, bona quæ habet, non Deo eorum auctori, sed suæ prudentiæ seu potentiæ, vel labori accepta refert, atq; ita Deum suo privat honore Deut. 8, 12 13. 14. (Prov. 30, 9.) Jud. 3, 7. 1. Sam. 12, 9. Job. 8, 13. Psal. 50, 22. Esa. 17, 10. & 51, 13. Jer. 3, 21.*

Gentes quomodo Dei oblitæ.

Obliviscitur Dei.

Vers. 19.) Sic igitur Deus cum illis facies, quod tua flagitat Justitia: mecum vero & reliquis afflictis pijs, ages secundum tuam misericordiam, non *enim fieri potest per tuam justitiam, omniscientiam & clementiam, ut* in æternum oblivioni tradatur egens, *etjamsi moram aliquantisper feceris, auxiliumq; pro tua sapientia distuleris Habac. 2, 3. Psal. 55, 23.* neq; exspectatio pauperum afflictorum, *pauperum vero spiritu Matt. 5, 3. & 11, 5.* peribit in æternum. *Particula enim negandi in principio versus posita* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *repetenda est ex usu hebrææ linguæ. sic Deut. 33, 6. Psal. 3, 2. Eccles. 9, 2.* 1. Sam. 2, 3.

Deus piorum non obliviscitur.

Vers. 20.) His ita expositis tandem conclusionem subjicit Psalmista,

Psalmista, in qua propositionem precationis repetit insigni epiphonemate, in quo valde graphicè confert naturam Dei æterni, omnipotentis, ac summè beati, & hominis mortalis, fragilis ac miseri, id est, illum ut suam exserat contra malos potentiam rogat: hunc, ut suam imbecillitatem agnoscat, monet: Surge, *inquit,* Jehova *Ps. 3, 8. & loca in salute, in quem favilla incendium improbus facit Ps. 12, 6. surge, & extolle te Ps. 7, 7. ne extollatur res vilis inter filios hominum Ps. 12, 9.* ne roboret se homo mortalis. *Hebr.* אֱנוֹשׁ *miser homo, quo nihil fragilius Ps. 8, 3. ne successu efferatur ac confirmetur inscelere Ps. 10, 18.* judicentur, *hoc est, judicium subeant ac puniantur supra v. 17.* gentes coram facie tua, *coram horrendo tuo tribunali Ps. 7, 7. & supra v. 4. Atq; ita priori membro Goliathi perstringit fastum: Posteriori Philistæorum notat exitium 1. Sam. 17, 43. surgente Deo siquidem dissperguntur inimici ejus, & fugiunt infesti oderes à conspectu ejus Ps. 68, 2.*

אֱנוֹשׁ.

Vers. 21.] *Surge itaq;* Jehova, *& surgens* incute timorem illis, ut agnoscant *& reipsa sentiant* gentes, *quod* velut unus homo mortalis sint omnes ipsæ. *Ita namq; in priori membro vocem* מוֹרֶה *vertendam esse, & ejus forma* (מוֹרֶה *enim doctorem significat*) *& textus cohærentia cogit, ut non opus sit fingere hic magnam obscuritatem cum* Bellarmino: *Cum enim LXX. id vertissent* κατάστησον κύριε νομοθέτην ἐπ' αὐτούς, *ipse in commentario sic scribit: Loquitur de Doctore terribili, qui cum imperio præcipit. Multi vero per hunc legislatorem intelligunt Christum: Multi Antichristum. In re obscurissima quisque abundet suo sensu; Hæc ille, quæ ex mala versione orta sunt, adeo præstat fontes potius adijsse, quàm rivos. Sed & hic in textu hebræo attentionis nota* סֶלָה *apponitur, qua monet, dignam esse hanc exactâ consideratione*

מוֹרֶה.

Bellarminus frustra sollicitus est.

senten-

sententiam, quippe quæ illud γνῶθι σεαυτὸν & μέμνησο ἀνθρωπε ὢν inculcat, quod quò minus à plerisq; attenditur, eò magis est observandum.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 14.] PRæter doctrinam I. de gratioso Dei aspectu, qui sufficit pijs, supra Ps. 4, 7, 8. & 8, 5. II. Quis sit invocandus, videlicet solus Jehova supra Ps. 3. 2. 9. & 4, 2. & 6, 2. III. Quod fides vera sit fiducia singularis Joh. 20, 28. Gal. 2, 20. 2. Tim. 4, 7. Lutherus in cap. 1. Gal. *Tota vis fidei in hoc consistit, ut quis benè applicet Pronomina.*

Ex v. 15] De memoria beneficiorum Dei Ps. 3, 6. infra v. 17. II. De gratiarum actione pro illis necessaria Ps. 6, 6. & 7, 18. supra v. 2. III. De publico Dei cultu non negligendo Ps. 22, 24. & 24. v. 7. & 27, 4. & 42, 2. 3. 5. & 122, 2. seqq. & 110, 4. IV. Unde sit piorum gaudium Ps. 2, 12. & 4, 7. 8. & 5, 12. 13.

Ex v. 16.) De pœna talionis Ps. 7, 15. 16. 17.

Ex v. 17.) De Dei justitia elucente in pœna improborum Ps. 7, 9, 13 14.

Ex v. 18.) De pœna Epicuræi contemptus Dei Ps. 14, 1. Rom. 1, 24. & 2, 12.

Ex v. 19.) De Dei promtitudine in exaudiendis piorum Ps. 3, 8. & 4, 2. & 5, 2. 3, & 6, 9. 10. II. Quod Deus tandem juvet & salvet cum ipsi visum fuerit supra v. 10. Psalm. 31, 16. Hieron. *Etsi Deus suo consilio liberationem differt, tamen non aufert, modo sit qui sufferat.* III. Quod non pereat spes piorum Rom. 5, 6. quæ est in Deum æternum. *Alij vero qui rebus caducis fidunt, ut divites opibus, fortes potentia, tandem pereunt cum illis* Ps. 10, 14. 17, 18. Jer. 9. 33, 1. Cor. 1, 31.

Ex v. 20.)

Ex v. 20.) I. De Dei potentia & fortitudine immensa Gen. 17. v. 1. Pſ. 135, 5. 6. Eſa. 50, 2. Cor, 6, 18, Eph. 3, 20. II. De hominum imbecillitate Pſ. 39, 6, 12. & 62, 10. & 144, 4. ſupra Pſ. 3, 7.

Ex v. 21.) I. De metu ſervili, quo Deus punit improbos Gen. 35. v. 5. Exod. 23, 27. Deut. 28, 10. 65. 66. Pſ. 14, 5. Eſa. 49, 37. Eſt igitur ἀφοβία μεμίσηται τὸ φοβεῖσθαι τὸν κύριον Pſ 112, 7. 8. ſupra Pſ. 3. 7. 8. II. Quod tota hominis vita nihil niſi umbra Pſ. 144. v. 4. ſomnium Job. 20, 8. Pſ. 73, 20. & ut pſaltes ait: Excellentiſſimum annorum eſt ipſe labor, dolor ac moleſtia Pſ. 90, 10. Imo omnia hæc ſunt vaniſſima vanitas Eccl. 1, 2. Diſcimus igitur tandem, experientiâ magiſtrâ, ut ſciamus nos eſſe mortales miſeros, quod pleraq; hominum pars ignorat, imò omnes niſi à Deo doceantur Pſ. 90, 12. Eccl. 11, 8. Sir. 7, 40.

Homo mortalis.

Diſcimus ex petitionis membro poſteriori, licere perſpecta hominum obſtinata malitia prædicere, imò etjam petere improborum interitum ad Dei gloriam, qua de re ſupra Pſ. 3, 8. & 5, 11. & 6, 9. 11. & 7, 10. & 8. 3.

Quæritur ex v. 18.

שְׁאוֹל accipitur propriè. I.

Cum dicatur: Revertantur improbi לִשְׁאוֹלָה. Illa vero vox שְׁאוֹל tum hic, tum alibi variè verti ab interpretibus ſoleat, quænam ſit ejus ſignificatio? Reſp. Eſt vocabulum homonymum & pro diverſitate ſubjectæ materiæ ſignificat Propriè. *I. Commune animarum poſt hanc vitam receptaculum, ut קֶבֶר corporum. Eſt autem receptaculum earum non commorandi, ſed tranſeundi ad alteram vitam, quo deſcendunt etjam hi, qui ſepulchris carent, ut liquet ex Jacobi hiſtoria, qui ait, ſe deſcenſurum ad filium ſuum Joſeph שְׁאוֹלָה, quem tamen non in ſepulchro conditum, ſed à ferâ diſcerptum,*

discerptum, & quod ad corpus insepultum : quod ad animam vero in communi hoc animarum receptaculo esse credebat. Confer. Gen. 37, 35. & 42, 38. & 44, 31.

II. Sepulchrum, locum corporis terra conditi 1. Reg. 2, 6. 2.
9. supra Ps. 6, 6. & 141, 7. Esa. 38, 18. Ezech. 32. 27. sicut & subjecta materia & consequentia in locis citatis apertè monstrant.

III. Locum cruciatus damnatorum, seu ipsum infernum 3.
vel tartarum : Et sic in N. T. vocabulo ἅδης sæpissimè exprimi solet Matt. 11, 23. & 16, 18. Luc. 16, 23. Prov. 7, 27. & 9, 18. Esa. 5, 14. & c. 14. conferantur inter se v. 15. ubi rex Babylonis dicitur deducendus שְׁאוֹל *& v. 17. & 18. ubi idem in sepulchrum (hebra.* קֶבֶר*) haud deventurus dicitur.*

Improprie *per metonym. subj. pro adj. denotat dolores* Et improprie.
infernales, quos homo sustinet in conscientiâ 1. Sam. 2, 6. Ps. 18, 1.
6. Vel per metalepsin lethale & quodvis gravissimum pe- 2.
riculum Ps. 30, 4. & 116, 3. Esa. 28, 15. Jon. 2, 3.

Ex his facilè apparet, quid sentiendum sit, tum de eo, quod Non significat semper sepulchrum.
scribunt quidam שְׁאוֹל *significare in genere locum corporum humanorum post mortem : tum de eâ* Bezæ *sententia, qua Act. 2, 27. statuit per* שְׁאוֹל *in loco Psalmi 16. & modo citato Evangelistæ, propriè significari sepulchrum : Illi enim eo modo* שְׁאוֹל *confundunt cum voce* קֶבֶר*: Hic vero argumentatur à particulari. Nam licet alicubi hæc vox, ubi subjecta materia id patitur, sepulchrum denotet ; tamen nec perpetua nec præcipua ejus significatio est. Quin potius nos argumentamur contra utrumq́, ex ipsius vocabuli I. etymo in ipsa* I.
scriptura satis manifestè indicato, quod est שְׁאָל*, id est, postulavit, quia satiari nec illud animarum receptaculum, nec infernus potest, sed semper plura postulat, cum contra sepulchrum, aut locus corporum vel terra egesta, vel cadaveribus,*

vel deniq; ipso aëre sive alio corpore facile satiari & repleri
2. queat Prov. 27, 20. & 30, 16. Esa. 5, 14. Hab. 2, 5. II. Oppositio, quia crebro ei opponi solet locus altissimus: Cœlum videlicet, à quo שְׁאוֹל maximè distat infimumq; inter omnia tenet locum, quod etjam de sepulchro vel loco corporum humanorum post mortem dici nequit, siquidem nec hic, nec illud est locus infimus, cum propè à superficie terræ absit Job. 11, 8. & 26, 6. Ps. 139, 8. Prov. 15, 24. Esa. 7, 11. & 14, 15. Amos 9, 2. Phil. 2, 10. Ubi tamen notandum in hac oppositione aliquando utrumq; tam cœli quam inferni vocabulum accipi impropriè, illudq; cœlestem ac summam beatitudinem, hoc cruciatus infernales ac maximos notare, quod est contra Bellar. qui inde in ipso terræ centro locum inferni esse probare conatur lib. 4. de Christo c. 10. Cui illud August. lib 20. de C. D. c. 16. expendendum relinquimus: Qui ignis inferni cujusmodi & in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem arbitror scire neminem, nisi fortè cui Spiritus Domini ostendit. Nobis vero illud dictum putemus à Chrysost. Ne quæramus,
3. ubi sit Gehenna, sed quomodo illam fugiamus. III. Conjuncto
אֲבַדּוֹן ei synonymo אֲבַדּוֹן Prov. 15, 11. quod & ipsum infernum & ejus regem denotat, qui græcè, interprete Evangelista, vocatur ἀπολλύων Apoc 9, 11. Latinè vero perditorem non malè dixeris. Sepulchrum vero vel locus corporum humanorum per se non
4. perdit rem contentam, sed potius conservat. IV. Adjuncta descriptione paronyma, cum dicitur שְׁאוֹל תַּחְתִּיָּה & תַּחְתִּיּוֹת infernus infimus ps. 86, 13. Deut. 32, 22. Cum tamen nec sepulchrum, nec locus corporum humanorum post mortem
5. sit infimus. V. Ex attributis quibusdam, quia (1.) anima dicitur inde erui Ps. 49, 16. quæ tamen sepulchro neutiquam includi potest, cum sit spiritus, ideoq; nec in loco corporum per se unquam fuit, (2.) tum quia Christus nos redemit מִיַּד שְׁאוֹל

Hos. 13,

Hos. 13, 4. Ex potestate inferni, interprete Apostolo 1. Cor. 15, 55. Omnibus vero, etjam maximè pijs, (exceptis Enocho, Elia & ijs, quos vivos deprehendet dies Domini) sepulchrum videndum restat ps. 89, 49. in quo reliquiæ carnis peccatricis purgentur 1. Cor. 15, 50. 53. (3.) Tum deniq́, quia diligens institutio in pietate animam pueri liberat מִשְׁאוֹל, *id est, ex inferno Prov. 23, 13. 14. cum etjam rectissimè institutus puer moriatur & sepulchro condi opus habeat Sap. 4, 7. 10. 11. 3 14. Quæ omnia prolixius hoc loco persequi non licet. Videantur ea de re* Lutherus c. 25. & 42. Genes. Bellarm. lib. 4. de Christo c. 10. & Orthodoxi Theologi, qui in Form. Concord. & ejus quidem articulum nonum *de descensu Christi ad inferos commentati sunt.*

ENARRATIO PSALMI DECIMI.

PSalmus hic apud Hebræos est ἀνεπιγράφος, *unde procul dubio factum, ut & propter numerum literâ* ι *omnium minima, quæ facilè propter exilitatem transiliri potuit, designatum, & argumenti similitudinem hic Psalmus cum præcedenti in editione græca, quæ vulgo LXX. æstimatur, conjungeretur: & porro ex hac in vulgata versione latina idem error committeretur. Unde porro orta est illa diversa Psalmorum numerandorum ratio in biblijs latinis & hebræis veteribus, quorum hæc Psalmum nonum à decimo distinguunt, illa vero non item, sed Psalmum de-*

Unde factum, ut hic Psalmus cum præcedenti conjungeretur vulgo.

mum demum quadrageſimum ſeptimum in duos partiuntur, ut eundem cum hebræis expleant numerum.

Argumentum. Argumentum *hujus Pſalmi eſt: Anxiè de impiorum faſtu, fraude, malitia & violentia conqueritur pſaltes, quæ ipſum afflictum ad mortem quærebant: Contra hos opem Dei implorat, ut vel mitigationem vel liberationem impetraret, & bona fiducia ex promiſſione Dei confirmatus ac recreatus concludit.*

Uſus. Uſus *eſt, ut impiorum perſpecta malitia ad Deum confugiamus precibus, qui ipſorum conatus reprimat, & nos miſeros contra eorum potentiam defendat orphanos, quod eum omninò facturum expromiſſionibus ejusdem veriſſimis concludamus.*

Ἀνάλυσις partes duæ 1. *Pſalmus eſt* ἐυκτικὸς, *ejusq́* partes *ſunt* duæ: Prior *graviſſima querimonia in malo. 2. ardentiſſima petitio liberationis ex malo. Illius duo ſunt loci. 1. de Deo quod auxilium ſuum differat v. 1. 2. De improbo quod malis bonos ope humana deſtitutos afficiat, cujus malitia graphicè depingitur*

Improbi malitia deſcribitur. *dupliciter. (1.) prolepticè & breviter. (2.) latius. In utroq́ membro hic ſervatur ordo, ut* κατὰ μεγεθμὸν *oſtendatur, qualis ſit impius 1. mente ſeu animo, 2. ore ſeu lingua 3. Opere ſeu externis actionibus.*

Brevius. *Proleptica expoſitio hæc eſt: In animo eſt faſtus ſeu ſuperbia ex rerum ſucceſſu v. 2. In lingua impia gloriatio de perpetrato malo ac blaſphemia in Deum v. 3 In opere externo elatio vultus ſeu geſtus omnes arrogantiam præ ſe ferentes maximam v. 4.*

Prolixius. *Plenior vero explicatio eorundem horum flagitiorum ſic habet; In animo improbi cernere licet (1.) ſecuritatem ſummam & contemptum Dei Epicuræum v. 4. 5. (2.) Confidentiam cyclopicam, quâ ſibi perſuadet, facilimè à ſe mala quævis illatum*

illatum iri alijs v.5. Nulla vero vel à Deo ipso sibi v. 6. In ore improbi notantur quatuor (1) diræ execrationes. (2.) fraus & dolus, (3.) molestia alijs intentata, (4.) & vanitas v. 7. In opere deniq; & externis actionibus perspicitur insignis crudelitas, quâ aliorum tantum sitit sanguinem improbus, vitæq; illorum callidè struit insidias.

Describitur hæc crudelitas callida per comparationem quintuplicem (1.) sicariorum, qui in platearum angulis. (2.) latronum, qui in viarum publicarum latebris vitæ prætereuntiũ insidiantur. (3.) Jaculatorum accuratè collimantium, ut aves vel feras trajiciant vers. 8. (4.) Leonis crudelis dilacerantis prædam. (5.) Aucupis, reti concludentis aves deceptas v. 9. Per comparationem.

Posterius per elegantem ὑποτύπωσιν viri suas vires atq; fraudes egregiè dissimulantis v. 10. Huic subjicitur. v. 11. repetitio omnium illorum pessimi sceleris, quod est contemptus Dei Epicureus, unde reliqua omnia flagitia. Et ὑποτύπωσιν.

Petitio est duplex 1. Generalis, cujus propositio est, surge Jehova, quæ statim tamen in partes suas distribuitur; Perde malos, serva bonos v. 12. Confirmatio subjicitur, in qua sunt argumenta desumpta ex personâ tum Dei, tum fidelium: Illius quidem gloria v. 13. providentia & omnipotentia; horum vero fiducia v. 14. II. Specialis, quæ iterum duplex est duo illa membra v. 12. prolepticè posita evolvens. Petit enim & dissipationem malorum v. 15. confirmatq; à Dei natura perpetua, & operibus antea præstitis v. 16. ac liberationem afflictorum piorum v. 17. tum quia ipsi humano præsidio sunt planè destituti, & in Dei clientelam recepti, tum quia eo pacto gloria Dei ab hostibus Ecclesiæ rerum prospero successu elatis obscurata illustratur ac propagatur. II. Petitio.

PARS

PARS PRIOR.

Vers. 1.] QVerela prior, *â qua quasi ex abrupto orditur psaltes, & in qua affectum hominis pij in maximis calamitatibus constituti, deq; causis dilati auxilij divini supra modum solliciti exprimit, ad indicandam ejus gravitatem varie exornata est.* — *Pro eo enim quod dicere poterat:* Heu mihi *Deus mei oblitus est;* (1.) *interrogationem adhibet Rhetoricam, de cujus vi Ps 2, 1. in qua secundò notanda est ellipsis particulæ interrogandi, in altero membro subintellectæ ex usu linguæ supra Ps. 3, 2.* (3.) *per apostrophen ad ipsum Jehovam suam orationem dirigit ut Ps. 3, 1. & 4, 2. 9. & 5. 2. 3.* (4.) *per anthropopathiam Deo locum & tempus attribuit supra Ps. 2, 4. illisq; circumstantijs rem ipsam valde exaggerat.* (5.) *deniq; per ἐξηγνέιαν, in qua est auxesis emphatica, idem repetit:* Quare ô Jehova, *qui semper idem es supra Ps. 9, 1. semper maximè φιλάνθρωπος ac bonus erga pios Deut. 33, 3. Tit. 3, 4. quare me tibi confisum ita deseris Ps. 13, 1. Cur non more veri amici in his meis miserijs occurris opem laturus? Cur non subvenis, imo cur* abstistis *potius. Hebr.* תַּעֲמוֹד *quasi fixus hærebis Ps. 1, 1.* In longinquo *hoc loco* בְּרָחוֹק *quod sæpè hoc modo elipticè ponitur ex idiotismo linguæ sanctæ, quemadmodum ejus contrarium* מִקָּרוֹב *Jer. 23, 23. substantivo convenienti subaudito* Buxt. Th. p. 315. *Sed quid ajo? Te procul absistere & à me è longinquo conspici? Imo vero* cur occultas *(subintellige teipsum vel tuos oculos, ne videant meam miseriam Esa. 1, 15. Ezech. 22, 26. vel tuas aures, ne vocem meam audiant Thr. 3, 56. Vel tuam faciem gratiosam (ut hæc ellipsis cum simili verbo suppletur infra v. 11 Cur non tantum differs auxilium, verum planè avertis tuam gratiam* temporibus, *quibus sum* in angustia, *& quidem quibus mihi*

בְּרָחוֹק.

מִקָּרוֹב.

bus mihi maximè oportunum & necessarium videtur, ut succurras, hebr. לְעֶזְרָתִי supra Ps 9, 10. intuere è cœlis & vide: Tu enim pater noster es, vindici tibi à seculo nomen Esa. 63, 15. 16. Hab. 1, 2. 3.

Vers. 2.] Huic querelæ alteram de malitia & crudelitate hostium, à quibus affligitur, subjicit μεσισμῷ insigni ornatam, quo impij hominis velut anatomen quandam instituit, dum oculis Dei aliorũq; piorum contemplandum subjicit, qualis improbus sit in corde ore & opere. Ne enim sine causa in priori versu exclamasse videatur, subnectit angustiam, in qua versabatur, quæ ut tantò magis sit conspicua, sub suâ unius persona totum regnum Dei, omnesq; pios comprehendit: In unius vero improbi persona totum diaboli & mundi regnum describit: Unde tam crebra numeri in Psalmo hoc mutatio.

Quod ad improbi hominis animum spectat (quem scriptura cordis nomine appellat sæpissime Deut. 29, 4. 1. Reg. 3, 9. Rom. 2, 15.) cum ipse affectibus potius quam ratione ducatur, potissimam illam facultatem hic describit vates regius, quam cum Philosopho nominamus ὀρεκτικὴν, & quia hujus duæ sunt potentiæ θυμοειδὴς & ἐπιθυμητικὴ, utriq; suum tribuit vitium: Illi scilicet fastum, huic vero ardens odium, iramq; erga pios, unde oritur persequendi studium & consilia studiosè ad nocendum pijs excogitata: Ita enim sequitur in textu: In superbia sua hebr. בְּגַאֲוַת, id est: in elatione, orta scilicet cum evehitur ad dignitates, potentiam, opes, à R. גָּאָה altus fuit, sustulit se improbus, quiescere nescius, qui sibi ac alijs facessit negotium Ps. 1, 1. ac inprimis ardens malefaciendi studio pauperem afflictum fervidè persequitur (quæ est verbi hebræi emphasis supra Ps. 7, 13. declarata.) Alij malunt cum LXX. neutraliter vertere hoc modo: In superbia improbi incenditur (græcè ἐμπυρίζεται) pauper, id est, vel ipsi pauperi in-

Cor id est, animus.

גָּאָה.

דַּל.

peri incalescit animus, & in meditatione ipsi exardescit ignis, tantisper dum improbus est coram ipso Ps. 39, 4. vel pauper à superbo incenditur, incendio videlicet, omnibusq; gravissimis malis destinatus. Prior explicatio magis videtur scopo autoris convenire. Verum non tantum palàm improbus fervidè persequitur pauperem: sed etjam clam comminiscitur varia ac vafra consilia, quibus scelus animo conceptum rectè perficere queat, מְזִמָּה. מְזִמָּה enim & cogitationem solertem, & scelus significat Prov. 1, 4. & 8, 14. Ps. 139, 20. Sed tu Deus facies ut deprehendantur in suis ipsorum consilijs, ipse improbus cum socijs & quotquot sub vexillo diaboli contra tuam oppressam militant Ecclesiam, ut quod huic incogitant & intendunt malum, in ipsorum caput recidat supra Ps. 7, 16. & 9. 16. 17.

Vers. 3.] Et hactenus hominis improbi inspeximus animum seu cor: quia vero ex abundantia cordis os loquitur, Matth. 12, 34. nunc porro linguam ejus videamus. Quia enim cuncta ex voto succedunt, non tantum superbit corde, sed etjam fastum suum prodit ore, laudat se ac gloriatur improbus super desiderio animæ suæ, arroganter se in malo jactat, aliosq; qui juxta desiderium animi sui vitam cum eo instituunt, eidemq; cum illo obnoxij sunt vitio, laudat Ps. 50, 18. quæstum faciens benedicit sibi Ps. 49, 19. cum per fas ac nefas alteri sua bona detraxit, lucratusq; est aliquid injustè, sibi de injuria alijs facta gratulatur dicens: Pax erit mihi, licet ex sententia animi mei ambulem, quo addat ebriam sitienti Deut. 29, 19. Et ita plane spernendo Jehovam ejusq; legem protervè irridet, ac quasi convicijs ad iram provocat, נִאַץ. ac contemptum irritat, quæ est verbi נִאַץ Num. 14, 11. & 16, 30. 1. Sam. 2, 17. 2. Sam. 12, 14. 2. Reg. 19, 3. Neh. 9, 18. quam cum perpenderent nonnulli, & præcedens verbum בֵּרַךְ nudè poni sine casu viderent, placuit ipsis ex collatione aliorum scriptura lo-

turæ locorum 1. Reg. 21, 10. 13. Job. 1, 5. 40. ubi eadem vox, quæ propriè benedicere significat, per εὐφημισμὸν pro maledicere accipitur, hoc loco similem statuere εὐφημιαν, ut sit sensus, quæstum faciens improbus maledicit, & maledicendo spernit Jehovam, cui pij suam felicitatem acceptam referre solent: Impij verò ditati eum ementiuntur ac dicunt, quis est Jehova? Deut. 8, 12. & 32, 15. Prov. 30, 9. quæ sententia & structura verborum quò est simplicior, eò videtur melior.

Vers. 4.] Atq; hæc sunt hominis improbi dicta; facta vero qualia? uno signo indicatur, ex quo tamen summam in omnibus facile colligas insolentiam: Idipsum est elatio vultus seu nasi, qui hebræis dicitur אַף synecdoch. vero totum vultum denotat supra Ps. 2, 12. & 6, 2. & 7, 7. Estq; fastus externus intolerabilis, quo alios quosq; præse aliquis planè despicit, & ut habet proverbium, naso suspendit adunco: Quod græci in eadem persistentes metaph. eleganter dicunt ἐκμυκτηρίζειν. אַף. ἐκμυκτηρίζειν.

Atq; hactenus proleptica ac brevior malitiæ improbi expositio: sequitur paulò plenior ejusdem, eodem ordine ac modo instituta explicatio. Ejus membrum 1. animi vitia depingit, dum ex ijs duo præcipua exaggerat, quæ sunt veluti fons ac scaturigo flagitiorum omnium. Ut enim timor Dei & veræ cordis humilitas est origo omnium virtutum: Ita ex epicuræo Dei contemptu & cyclopica confidentia omnia reliqua oriuntur vitia: Unde infra v. 11. hæc eorum stirps & radix iterum proponitur. Est autem in hoc versu quædam μίμησις, quæ Spiritus Sanctus cardiognostes etiam cogitationes improbi exponit: In elatione vultus sui improbus dicit in corde suo, id est, ita secum tacitus reputat, supra Ps. 4, 5. Unde etiam hic per ἑρμηνείαν quandam subjicit psaltes: Hæ sunt omnes cogitationes ejus, nempe non requirit, non curat Deus hæc nostra, imò non est Deus, qui rerum humanarum

gerat curam Pſ. 14, 1. Job. 22, 12, infra v. 11. Hic vero duæ verbi ſubſtantivi ellipſes notandæ ſunt Buxtor. Th. p. 395. 452. 457. 491. 499. 541. *Ac ita contemptus Dei epicuræus denotatur in impio, qui cum Dei negat providentiam, Deum ipſum conſequenter abnegare neceſſe eſt Pſ. 73, 11. Eſa. 29, 15. Soph. 11, 12.*

Verſ. 5.] *Confirmatur vero in hoc ſuo impio propoſito (quamvis ex accidenti) ex proſpero rerum ſuarum ſucceſſu, neſciens, quod hæc Dei benignitas ad pœnitentiam invitet Rom. 2, 4.* Munitæ *enim* ſunt viæ ejus quocunq; tempore, *omnia ejus cœpta, (quæ ſcriptura nomine viæ ſæpius indigitat Pſ. 1, 1.) proſperantur Jer. 12, 1. Pſ. 73, 4. 5. Quod membrum & verbum hebr.* יָחִילוּ *ut ita interpretemur, facit cum ſcopus pſalmiſtæ in hoc loco, tum verbi hujus cognatum vocabulum* חִיל, *quod copias, robur, potentiam ſignificat, & deniq; ſimilium locorum, in quibus faſtus hujus & contemptus epicuræi redditur cauſa, collatio, ut omittam Chaldæi interpretis authoritatem qui vertit, proſperæ ſunt viæ ejus. Quid? quod tantum abeſt, ut reliquorum interpretum rejiciatur explicatio, ut potius ſua ſponte ex hac noſtrâ conſequenter emergat. Nam quod vertunt vel intranſitivè, parturiunt cum dolore, vel tranſitivè, dolore afficiunt videlicet probos, derivantes à R.* חוּל, *id eſt, cum dolore parturijt: Inde fit utrumq;, quod res ipſis ex animi ſententia ſuccedat. Tum enim neq; certum votis ponunt modum, ſed & magnas inter opes inopes ſemper plura petunt, ſemper novos acquirendi modos laboriosè excogitant, & à diabolo iſto habendi amore nimio impregnati ſemper parturiunt cum dolore cum ſuo, qui non ſatiantur ullis modis, tum aliorum, quibus ſua bona per vim eripiunt, ſupra Pſ. 7, 15. Jacob. 1, 14. 15. eripientes, dolore probos afficiunt, tàm per ſe ſua malitia, quâ ipſis nocent, quàm ex acci-*

Quis ſit ſenſus verborum. יָחִילוּ דְּרָכָיו׃

ex accidenti sua prosperitate, quâ sæpius pij offenduntur Ps. 73. 37, Job. 21, 7. Jer. 12. Cum igitur prosperatur impius vijs suis, altissimè (*scilicet absunt*) judicia tua à conspectu ejus, *eò quod parumper differs vindictam, improbus existimat eundem rerum tenorem fore semper, & nunquam fore, ut judicia tua experiri necesse habeat, quemadmodum vers. seq. satis dilucidè explicat. Est vero in textu hebr. notanda (1.) ἀντωνυμία qua nomen pro verbo usurpatur. (2.) abstractum pro concreto adhibitum, notat superlativum. (3.) Ellipsis verbi substantivi observanda est.* מָרוֹם *enim, quod est in textu, nomen masculinum est designans altitudinem seu sublimitatem à* רוּם, *altus fuit. Vide de istis idiotismis linguæ sanctæ* Buxt. Thes. lib. 1. c. 38. Jun. in c. 3. Gen. & Buxt. Thes. p. 452.

Atq; hactenus summa impij hominis securitas ac timoris Dei vacuitas depicta est, cum qua conjuncta est cyclopica confidentia, dum sibi eam promittit potentiam, qua ipse nocere, cuivis possit facilime, & se contrà defendere, ne quis ipsi vicissim nocere queat. putat enim se vel solo suo flatu & ronchis thrasonicis disperditurum omnes suos hostes, ideo qui conantur eum in angustias *redigere* exsufflat in eos, *ubi pleonasmus relativi ad emphasin faciens occurrit ut supra Ps. 1, 4. & 9, 7. Et qui ita vertunt, eo niti videntur, quod verbum* פּוּחַ *magnam cum* יָפִחַ, *id est magnos spiritus alens, cædes & clades tantum spirans Ps. 27, 12. Prov. 14. 5. Act. 9, 1. cognationem habeat. Alij vero considerantes, quod* פִּיחַ *favillam notet ardentem, metaphoricè hoc innui volunt, quod improbus fortunæ obsequijs dementatus sibi ita blandiatur, quasi omnes suos hostes tam facile possit è medio tollere, quam cito favillam materiæ aridiori potest injicere, flatuq; porro excitare, ut velut incendio imprudentes miserè pereant Psal. 12, 6. Prov. 29, 8.*

פּוּחַ.
יָפִחַ.

V.6.] *Et hoc modo aliorum felicitatem facile à se turbatum iri confidit: sibi verò præ animi fastu perpetuam spondet prosperitatem,* dicens in corde suo, *hisce cogitationibus vanis se oblectans supra Ps.4, 5. infra v 11. quales fuerunt impiorum plurimorum, major sum, quam cui possit fortuna nocere, Excessêre metum mea jam bona, ut Niobe insolentior introducitur à poëta 6. Metamorph. Et de Rege, Ægypti Aprye narrat lib. 2 Herod. quod hæc fuerit ejus sententia, à nullo neq; Deorum neq; hominum sibi regnum posse adimi, adeò videbatur sibi illud stabiliviſse. Eadem sententia hic improbo tribuitur* מוט. *à Psalmista:* Non dimovebor (*hebr.* בַּל־אֶמּוֹט, *propriè non vacillabo aut nutabo pedibus. De his enim hoc verbum proprtè usurpari solet, licet postea metaphorice ad res alias quoq; accommodari possit, vide Deut. 32, 35. Ps. 17, 5. & 35, 17. & 66, 9. & 94, 18. & 121, 3. De posteriori significatione vide 1. Chron. 16, 30. Ps. 46, 3. 6. 7. De hominis vero statu & conditione cum particula negandi usurpatum stabilem fortunæ tenorem significat, ut hoc loco, & Ps. 16, 8. & 13, 5. & 21, 8. & 30, 7. & 55, 23. Pr. 10, 30. & 12, 3.*) ætate & ætate, *id est, ulla ætate* Buxt. Thes. p. 318. 319. ipse non in malo (*scilicet futurus sum*) *nunquam in æternum malum ad me pertinget usq;, tanto animi fastu turget homo miser & tam confidenter de sua sorte gloriatur in corde, blanditurq; sibi ipsi, sed ut flamma latens erumpit facilè, ita etjam hoc virus non diu in animo se continet, verum in os exundat.*

Vers. 7.] *Redit ergo psaltes ad linguam improbi describendam prolixius, ut supra v. 3. breviter ad umbraverat, eiq; quatuor attribuit satis abominabilia flagitia.* (1.) *diras execrationes, quibus Dei nomine pessimè abutitur* (2.) *quasvis fraudes ac dolum seu pecuniæ aucupia.* (3.) *molestiam & dolorem alij creatum.* (4.) *Vanitatem.* Execratione, *inquit,*

os ejus,

os ejus, *non quandoq; maculatur sed* plenum *est semper, cum vel blasphemat Deum, vel proximo mala imprecatur: vel deniq; ut tantò facilius fallere possit alios imprudentes, per nomen Dei vanissimè pejerat, quæ omnia vox hebr.* אָלָה, *& græca ἀρὰ (qua illam exprimere voluit Apostolus Rom. 3, 14.) significat, plenum est os ejus,* etjam fraudibus, *quibus quocunq; etjam modo alios fallit,* & dolo, *quo ipsorum fortunis struit insidias, easq; ad se transferre studet. Unde* subest linguæ ejus, *hoc est, in corde seu animo diligenter perpendit, id quod phrasis innuit Ps. 66, 17. quomodo illis tantum creet* molestiæ (*hebr.* עָמָל *supra Ps. 7, 17.*) & vanitatis, *seu potius doloris ex impatientiâ nati, ut potius afflictus quoquo modo cum illo improbo transigere studeat, etjam cum suo damno, quam diutius tolerare molestias, quas creavit improbus, dum ipsius inhiabat bonis, id quod præter alia notat vocabulum* אָוֶן *supra Ps. 5, 6. cognatum radici* אִוָּה, *id est, desideravit, quod aliàs vanitatem denotat, in qua significatione si hic placet accipere indicatur ille improbi decipiendi modus, quo dum aures montes pollicetur, imperitos rerum in fraudem illicit, sollicitando ac pollicitando eorum animos lactat, sui solius commodi gratia.*

אָלָה.

אָוֶן.

Vers. 8.] *Deniq; in uberiore hac declaratione malitiæ improbi revertitur vates regius ad actiones & externa ejus opera, quæ supra in parte priori v. 4. verbo tantum tetigisse, & uno fastus signo indicare voluit: Hic vero crudelitatem fraudulentam, quæ in illis undiquaq; elucet, quam vis egregiè dissimuletur, exaggerat & quasi oculis conspiciendum exhibet prius in imagine quintuplici, deinde in seipsa. In illa primum locum obtinet comparatio desumpta à sicarijs. Ut enim hi latentes in platearum angulis prætereuntes de improviso adoriuntur ac trucidant; Ita etjam ille improbus, qui animo est epi-*

Improbi comparantur cum sicarijs.

est epicuræo, & lingua thrasonica desidet. (*hebr.* יֵשֶׁב) *ubi enallage futuri pro præsenti, quæ etjam in seqq. notanda*, in specu villarum *seu atriorum eorum, ubi parva est hominum frequentia, vitæq; piorum struit insidias, & occasione oblata, eam eripit impunè, dum nemo hominum id videat. Secundò, ut latrones in publicarum viarum latebris delitescentes, viatores imprudentes invadunt & hos nec opinantes opprimunt, ita & ille improbus* in latebris *& locis, ubi se abscondere ab hominum oculis potest*, occidit innocentes, *atq; hoc etjam inultum aufert, cum non sit in terris rei nefandæ arbiter aut vindex. Tertiò, velut jaculatores accuratè collimant, ut scopum propositum tangant, vel feram, quam persequuntur trajiciant; Ita etjam illius* improbi oculi in *pium afflictum ac* defectum viribus *intenti sunt, quod tamen, qua est astutia, dissimulat sedulò. atq; ita ut oculi in perniciem miseri hominis unicè directi* delitescant, *nec observari vel ab hoc, vel alijs facile queant.*

Cum latronibus.

Cum jaculatoribus.

Cum leone.

Cum aucupe.

Vers. 9.] *Quartò*, Ut *impastus* leo in tugurio suo, insidiatur in latibulo suo, *insidiatur vero* ad rapiendum, *imo diripiendum seu dilaniandum* pauperem adflictum. *Quintò, deniq; velut callidus auceps, quando concinnavit aream, offundit cibum, ut assuescant aves, quas etjam per illices ad se trahere studet, aves securas reti includit perditq;: Ita ille improbus* rapit pauperem afflictum, cum trahit eum in rete suum, *fraudibus q; suis circumventum tenet.*

Vers 10.] *In seipsa improbi crudelitas dissimulata per elegantem ὑποτύπωσιν describitur hoc modo:* atterit se, *attritum se simulat, & adeo imbecillem, qui vix erectus possit incedere, sed inter eundum se incurvare ac scipione niti necesse habeat* (*Ps. 3, 8.*) *imò quandoq; planè* procidit *in terram, quasi neq; tantum ipsi sit roboris, ut scipione se sustentare queat. Ita egregiè suam*

Improbus simulat ac dissimulat.

giè *suam dissimulat potentiam ac vires, cum procidit* robustis suis (*membris puta, ut liquet ex antecedentibus, illam hoc loco substantivi convenientis statuendam esse ellipsin.* Buxt. Thes. p. 315.) *tanquam si essent defecta viribus, ut tanto facilius, dum sibi haut cavet pius ab eo, præter omnem exspectationem invadatur ac prosternatur. Quemadmodum enim leo prædam invasurus incurvat se, ut tantò majori cum impetu à terrâ in feram insiliat, sic dejectionem animi & corporis simulat improbus, ut tantò commodius imprudentem opprimat & evertat.*

Vers. 11.] *Si vero quaris, qui tanta in hominem possit cadere malitia, ut non modo malefaciat, sed ne posse quidem malefacere videri velit, ut tantò magis noceat: respondet psaltes, istud, & quicquid præterea in improbo est, nequitiæ, inde oriri, quod Deum non metuat, providentiamq; neget Ps. 14, 1.* Dicit *enim* in corde suo, oblitus est Deus hujus sui pauperis *quem affligo*, abscondit suam faciem, nec respicit unquam vel *ad ipsius miseriam, ut inde eum invocantem liberet; vel ad meam malitiam, ut me puniat. Existente namq; opere meo in tenebris, quis videt me, quis animadvertit me, ait improbus apud Esa. c. 29, 15.*

LOCI COMMUNES.

PRæter *doctrinam ex v. 1.*] *I. de tentatione piorum q. Deus ipsos in malis non curaret Ps. 6, 4. & 85, 6. qui tamen ipsorum oblivisci non potest Esa. 49, 15. qui cum putamus eum esse longinquum à salute nostra Ps. 22, 2. prope est omnibus fractis corde Ps. 34, 19. & mala, quibus affligimur, videt Exod. 3, 7. infra v. 14. Devolvamus igitur super Jehovam viam nostram, tum ipse faciet Ps. 37, 5. & 55, 23. 2. Pet. 5. 7. Prov. 16, 3. & respiciet nos Ps. 25, 18. 19. II. Recurren-* Deus curat pios.

Ad quem in malis confugiendum.

dum esse in omnibus calamitatibus ad Deum, & in eo solo collocandam esse fiduciam Ps. 7, 2. & 9, 11. 19. cujus proprium munus, miseris succurrere infra v. 14. sed tempore à se constituto Ps. 9, 10. accedamus eum cum fiducia Ebr. 4, 16.

Superbia.

Ex v. 2.] I. Superbiam esse tyrannidis causam, omniumq; turbarum Ps. 73, 6. 8. Prov. 13, 10. Exempla sunt in Pharaone Exod. 5, 2. 6. Hamane Esth. 3, 2. 6. Herode Act. 12, 1. 2. 21. II. Improbos Dei donis bonis abuti pessimè, ut docetur in parabola dispensatoris iniqui Luc. 12, 42. & 16, 1. seqq. III. De pœna talionis Ps. 7, 15. 16. 17. Deus enim contra malos convertit iniquitatem ipsorum, ut malitia ipsorum exscindat eos Psal 94, 23.

Malitia improborum.

Ex v. 3.] I. Summum esse malitiæ gradum, gloriari in malitia Ps. 52, 2. Esa. 3, 9. II. Etjam inter malos esse concordiam Ps. 50, 18. Joh. 15, 19. Act. 23, 14. III. Improbos convicijs & quasi elata manu Deum ad iram provocare Esa. 5, 19. Act. 5, 39. 2. Pet. 2, 2. & 3, 3. Exempla sunt in Rapsace 2. Reg. 18, 30. seq. Sennacheribh 2. Chron. 32, 11. Holoferne Judith. 6; 2. Cerintho Euseb. lib. 4. hist. c. 14.

Indicia superbiæ.

Ex v. 4.] I. Ex gestibus externis superbiam præ se ferentibus posse judicium sumi de interna cordis elatione, quales sunt elatio oculorum Ps. 131, 1. & 18, 28. ac nasi, ut hoc loco, ampullæ & sesquipedalia verba Prov. 13, 10. Ps. 73, 8. 9. & 17, 10. incessus Esa. 3, 16. Vestitus Act. 12, 21. 23. & 25, 23. (πολὺ φαντασία) risus, Prov. 21, 24. II. Qui negat providentiam, negat Deum: siquidem hic non est essentia otiosa Ps. 14, 1. seqq. & quia creatio ac providentia sunt cognata, idcirco scriptura ad serium usum in consolatione utramq; complectitur Job. 12, 9. 10. Ps. 123, 8. & 145, 5. 6. 7. Act. 17, 14. 25, 26. & ne quidem ad momentum res possent subsistere, nisi virtute Dei sustentarentur. Col. 1, 17. Ebr. 1, 3. Contra eos

Dei providentia.

tra eos vero, qui dicunt, non est scientia in Excelso Ps 73. 11. ex creatione efficacissimè concludit psaltes Ps. 94. 9. qui plantavit aurem, non audiat? quiq; finxit oculum, nonne videbit? Certè ipse inquirit in res hominum, eorumq; recordatur Ps. 9, 13. III. Pleriq; improbi etjamsi dicere verentur, tamen cogitant semper, non esse Deum, & licet verbis Deum profiteantur, tamen operibus Deum abnegant Tit. 1, 16. dicunt quidem Domine, Domine, sed non faciunt voluntatem patris sui cœlestis Matt. 7, 21.

Prosperitas improborum.

Ex v. 5.) I. De prosperitate improborum in hac vita, quorum portio est in hac vita, quorum ventrem implet Deus recondito suo thesauro Ps. 17, 14. nisi autem illa benignitate Dei ad pœnitentiam adducuntur Rom. 2, 4. miserè tandem pereunt, abeunt in desolationem quasi momento, desinunt, consumunturq; terroribus Ps. 73, 19. Vide Job. 15, 20, & 20, 4. seqq. & 21, 7. c. 24, 18. cap. 27, 8. seq. Ps. 73, & 37. Jer. 12, 1. seq. Mal. 2, 17. & 3, 14. 15. Augustin. lib. 1. *de C. D. c. 8. quod & ipsi Ethnici agnoverunt ut liquet cum ex alijs, tum* Aristot. 2. Rhet. c. 23. Senec. de gubern. mundi. *II. Quod judicia Dei à se longè remota existiment improbi, quæ tamen ipsis impendent, & quò pœna est propinquior, eò plerumq; ipsorum animus à diabolo redditur securior Esa. 22, 13. & 28, 15. & 47, 7. 8. Exempla sunt in hominibus diluvio obrutis Matt. 24. 39° Sodomæis sulphureo imbre oppressis Luc. 17, 26. 27. 28. Israëlitis peste correptis Num. 11, 33. 1. Cor. 10. 7. Benjaminitis bello absumtis Jud. 20, 34. Holoferne Judith. c. 12, 20. & 13, 9. Nebucadnezare Dan. 4, 30. 31.*

Quò pœna propior, eò est improbus securior.

Ex v. 6.) De vana improborum confidentia, quippe quæ nititur rebus vanitati subjectis; ipsorum vero firma est fiducia, nec dimoventur, quorum rupes est Jehova Ps. 62, 3 9. seq. Ps. 9, 16. 20.

Improbi & Deo & hominibus maledicunt.

Ex v. 7.] *Improborum ex ore tanquam ex patenti sepulchro Matt. 23, 27. Ps. 5, 10. exhalare omnis generis diras atq; execrationes, quibus cùm nomen Dei blasphematur. Lev. 24, 10. 11. & 20, 3. Act. 13, 45. & 18, 6. Rom. 2, 24. tum proximi fama laeditur Rom. 1, 30. & 12, 14. prioris generis exempla sunt in Sennacheribh 2. Reg. 19, 35. Belsazare Dan, 5. 3. tribuno regis Israel 2. Reg. 7, 2. Posterioris generis 1. Sam. 22, 9. 10. in Siphaeis 1. Sam. 23, 19. servis Saulis ibid. c. 24, 10. 13. Joabo 2. Sam. 3, 25. Ziba 2. Sam. 16, 3. Hamane Esth. 3, 8.*

Hodierna politica mundi.

Ex v. 8. 9. 10. Quantum vitium sit illa fraudis species, quam graeci πανοῦργια, nominant, qua quis alteri imprudenti nocet, eumq; studet per amici fallere nomen, nec tamen vult videri damnum dedisse aut malum, quod hodiè solenne est multis pseudopoliticis in omni vitae genere. Hoc flagitium damnat scriptura Ps. 55, 22. & 15, 3. & 101, 5. Jer. 5, 26. 27. & 9, 4. 5. Rom. 1, 29. 30. 1. Thess. 4, 6. Sir. 19, 25. Exempla sunt in Patre horum duplicium hominum in serpente antiquo Gen. 3. 1. 2. Caino Gen. 4, 8. Filiabus Moabitarum Num. 25, 2. Saule 1. Sam. 18, 17. Pharisaeis Matt. 22, 6. Quandoq; etiam pij ex infirmitate in hoc flagitium prolapsi non multò post resipuerunt, ut constat de filijs Jacobi Gen. 34, 13. Davide 2. Sam. 11, & 13.

Virtutum vitiorumq; chorus.

Discimus I. quod, ut est in pijs virtutum ex timore Dei ortarum connexio Gal. 5, 22. Phil. 4, 8. 2. Pet. 1, 5. 6. 7. Ita in impijs sit ex vacuitate timoris Dei omnium flagitiorum colluvies, Gal. 5, 19. seqq. 1. Cor. 6, 9. 10. Rom. 1, 28 seqq.

Homo malus est saevissimae bestiae similis.

II. Quod homo improbus & Dei non timens sit longè pejor, quam fera belua, quae non nocet alteri suae speciei bestiae: Neq; enim, ut ait poëta, Hic lupis mos, nec fuit leonibus unquam, nisi in dispar feris: sed homo (proh dolor) homini lupus est, teste comico & experientia. Illi autem improbi laedentes fa-

tes facile proximum, sunt deteriores canibus Psſ. 58, 5. 6. robustis juvencis Psſ. 22, 13. lupis vespertinis Jer. 5, 6. Imo quodammodo ipsis diabolis, inter quos bene convenit Luc. 11, 18. Hinc sedulò monet scriptura, ut caveamus homines Matt. 10, 17. ne credamus amico, etjam intimo Mich. 7, 5. 6. Plinius lib. 7. c. 1. *nulla rabies acrior quam hominum. vide apud eum reliqua.* Seneca *epistola 104. Ab homine quotidianum est periculum homini, adversus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere: nullum est malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat, crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumus incendium: at subita est ex homine pernicies, & eò diligentius tegitur, quò propius accedit.*

PARS SECUNDA.

Vers. 12.] DEscriptioni malitiæ hominis improbi luculentæ petitionem psaltes subjungit ardentissimam *ex rei indignitate & periculo, sibi aliisq; pijs ab illo imminente natam. Cum enim tanta sit ejus nequitia, securitas, vafrities, calliditas, tantoq; pijs nocendi ardeat studio, ut nec Deum curet quicquam, tuum erit Jehova, qui potes solus, & cujus gloria agitur, tam sceleratis maturè obviam ire conatibus ac ausus nefarios tua sapientia, tuaq; potentia reprimere.* Surge itaq; Jehova, *qui semper idem es, severus in malos & gratiosus in bonos supra v. 5. qui hactenus connivere ad tanta flagitia, vel etjam dormire visus es illis improbis supra Psſ. 3, 8. Surge opem laturus afflictis, succurre Psſ. 9, 20.* Deus fortis *hebr.* אֵל *cujus solius robur est Psſ. 62, 12. & cui brachium est cum potentia (maximè potens) Psſ. 89, 14.* אֵיל *enim hebræis fortitudinem ac potentiam designat Psſ. 88, 5. imò ipsa vox* אֵל *licet hoc loco & aliàs sæpè sit cognomen*

 non

Dei, κατ' ἐξοχήν, & plerumq; adjectivè accipi solcat, unde est Ps. 29, 1. בְּנֵי אֵלִים, *id est, filii fortium, id est, vos fortissimi Ezech. 32, 21. tamen sequenti nomine* יָד *fit substantivum & potestatem denotat Prov. 3, 26. Neh. 5, 5. Surge potentissime Deus, in solatium piorum adflictorum, sed simul in horrorem malorum,* attolle manum tuam, *percussurus affligentes; exsere illud robur, quod est tibi, ut sentiant improbi abs te puniti pro merito. Manus Dei siquidem in scriptura & potentiam significat & plagam inevitabilem Exod. 7, 7. & 9, 3. Jer. 15. v. 17. Ruth. 1, 13. Unde robustæ & fortis epitheto sæpe insignitur Exod. 6, 1. & 13, 3. 14. & non semper in malum est, sed quandoq; etjam in bonum Neh. 2, 8. Luc. 1, 66. Unde jam crebri illi hebraismi facile explicari possunt, de manu canis Ps. 22, 21. inferni Ose. 13, 14. & similes.*

Manus Dei.

Huic Thesi petitionis generalis ad majorem emphasin subjicitur ἄφεσις: Ne obliviscaris pauperum afflictorum, *sed ut signum Masoreth & puncta subjecta monstrant, legendum esse* עֲנָיִים *i. e. mansuetorum & patientium piorum, teq; in fide præstolantium. Ostendas ipsis te, qui nosti & curas omnia, nec ipsorum esse oblitum præstando auxilium in verbo promissum, quemadmodum hæc locutio per* ἀνθρωποπάθειαν *tributa juxta fidei analogiam rectè explicari solet.*

Deus non obliviscitur piorum.

Vers. 13.] Huic petitioni argumentum à rei indignitate desumptum subnectit, ut ita se ipsum potius soletur, quàm Deum permoveat Ps. 3, 2. Cum enim optimo fine in mundo fiant omnia, sic dirigente sapientissimo mundi Rectore Deo, nempe ad suam gloriam, & non videt psaltes, quomodo hæc improbi blasphemia & crudelitas in eam vergat, in spem erigitur, mox fore, ut finem habeat. Cur enim seu (ut ἐμφατικώτερον *habet textus hebræus* עַל־מָה) ad *vel propter* quid ita irritaret contemptim (*hebr.* נָאַץ *supra, v. 3.*) improbus Deum,

Deum, cum dicit in animo suo *supra v. 6. & 11. quod tu, ô Deus*, non reposcas *supra v. 4. 11. qui tamen ex justitia tua, imò promissione & minis, Gen. 9, 5. omninò reposcere constituisti, infra v. 15. quidquid ipse nefariè hactenus perpetravit. Tibi est vindex oculus, qui omnia perspicit, licet etjam hunc neget improbus v. 12.*

Cum enim videam, me nihil ijs, quæ hactenus exaggeravi meritò, proficere apud homines, ad Te Deum meum me converto. Dicunt improbi, te nescire res humanas, sed certè tu nosti omnia, neq; tantùm in genere scis, sed quid quisq; faciat ac patiatur. Tu ex cœlis intueris, & vides omnes filios hominum Ps. 33, 13. Tu vides, *perspecta ac cognita habes omnia*, cum tu molestiam & indignationem intueris (*ita namq; per enallagen temporum hebraïs frequentissimam, postulante ita subjecta materia & præteritum & futurum explicandum est hoc loco* Buxt. Thes. p. 95.) *Ubi quædam voces emphaticæ occurrentes superius sunt explicatæ* רָאָה *vidit tam animo quam oculis Ps. 8, 4.* עָמָל *molestia supra Ps. 7. 15. 17. & supra v. 7.* כַּעַס *indignatio cum dolore insigni conjuncta Ps. 6, 8. Inter duo autem verba cognata, quæ vulgo Synonyma putantur* הִבִּיט & רָאָה *hoc videtur esse discriminis, ut illud rem videre & considerare simul mente, hoc vero studiosè & quasi oculis fixis rem diutius intueri, accuratius inibi perpendere quid faciendum sit, ac curioso lumine perlustrare, ut de uxore Lothi sollicitè ad bona Sodomis relicta respiciente & dubitante, num porro an retro se converteret Gen. 19, 17. 26. Luc. 17, 32. & de Mose, non ausо Deum apparentem in rubo curiosius contemplari Exod. 3, 6. usurpatur (vide etjam 1. Sam. 16, 7. & 17. v. 42.) ut ita sit emphaticoteron, quam* רָאָה, *unde etjam h. l. eidem postponitur, & contrà 2. Reg. 3, 14. præponitur. Non intuerer te, imo ne quidem adspicerem. unde etjam per*

רָאָה. הִבִּיט.

etjam per verbum שָׁמַר *quandoq; explicatur, confer Pſ. 130, 3 & Num. 23, 21. Sæpe tamen ſimpliciter tantùm emphaſeos gratia conjunguntur, illo non obſervato diſcrimine, & tam de hominibus propriè, quàm de Deo* ἀνθρωποπαθῶς *uſurpantur Habac. 1, 5. Thren. 1, 11. 12. Job. 35. v. 5. Pſalmo 22, 18. & 33, 13. & 80, 15. & 142, 5. Eſa. 63, 15. Thren. 5. 1, Intuerùs igitur Deus lumine perſpicaci, cujus facies irata eſt adverſus facientes malum, ut exſcindas è terra memoriam eorum Pſ. 34, 17.* ad reponendum *& reddendum eis* (נתן) manu tua, *quia in illam rem ac ſpem ſuam credidit afflictus*, tuæq; fidei ſe tradit defectus viribus, *ſeu ut habent verba hebr. ſuper te relinquit ſe defectus viribus, quam emphaſin noſtræ linguæ idiotiſmus exprimit* Auff dich verleſt ſich der ſich ſelbſt nicht wehren oder helffen kan. *tibi relinquit vindictam Rom. 12, 19. Deut. 32, 35. quia* tu es pupilli adjutor, *imò Pater Pſ. 68, 5. Ebr. 10, 30. pupilli* (hebr. יְתוֹם) *orbi utroq; parente, Thr. 5, 3. id eſt, ſcripturæ ſtylo per metaph. qui hominum ope caret, humanoq; prorſus deſtitutus eſt auxilio Job. 6, 27. & 29, 12. Joh. 14, 18. quales ſunt peregrini, orphani, viduæ, (quæ tria hominum miſerorum genera propterea ſæpè conjunguntur Exod. 22, 21. Deut. 10, 18. & 24, 27. ſeqq. Pſ. 146, 5. & plerumq; verè pij, quorum oculi non ad montes Pſ 121, 1. (magnos in mundo) ſed ad Dominum Pſ. 25, 1. & 123, 2. quos cum etjam pater & mater derelinquunt, Dominus ipſe recipit Pſ. 27, 10. & eripit pauperem, cui non erat adjutor Pſ. 72, 12. modo ſit ipſe coram mundo vere orphanus, cui mortuus ſit pater hic mundus, per quem carnaliter genitus eſt, ut poſſit dicere: Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo Gal. 6, 14. & in quo non generat mater concupiſcentia Jacob. 1, 15. ſed jam cum Chriſto crucifixa & mortua eſt Gal. 5, 24. Rom. 6, 3. 6.*

Pupillorum Deus pater eſt.

Sicut & peregrinorum ac viduarum.

Verſ. 15.]

Vers. 15.] *Hisce petitionis suæ argumentis ita satis emphaticè expositis, psaltes propositionem in conclusione Psalmi repetit per* ἐξήγησιν, *in quâ duo petit, dissipationem impiorum affligentium v. 15. 16. ac liberationem proborum afflictorum v. 17. 18.* Frange, *inquit,* brachium improbi & mali, *tu Deus, cui manus fortis est & brachium extensum Exod. 6, 6. & 15, 16. id est, maxima potentia Deut 4, 34. & 5, 15. & 7, 19. 2. Chron. 6, 32. Ps. 136, 12. siquidem scriptura potentiam, ut manum supra v. 12. ita & sæpissimè brachium nominat Ps. 44, 4. & 71, 18. & 77, 16. Esa. 30, 30. Luc. 1, 51. Unde ejus phrasis frangere brachium dicitur, qui potentiam alicujus infirmat Job. 38, 15. Ps. 37, 17. Jer. 48. 24. Ezech. 30, 24.* inquire improbitatem ejus (*nam per enallagen temporis futurum pro imperativo* Buxt. Thes. p. 95.) *inquire vero significat per metalepsin apud hebr. valde frequentem, inquisitam produc in lucem, ac detectam jam puni Gen. 9, 5. Quæ omnia de Deo dicuntur* ἀνθρωποπαθῶς *more judicis terreni, qui diu in causa perplexa inquirit verum, & tandem iniquitatem inventam punit: Ita enim accipitur verbum* דָּרַשׁ *de cognitione accurata causæ, quæ agitatur in judicio Deut. 18, 19. Ezech. 33, 16. & 34, 10. 11. Confer etjam Deut. 13, 14. & 17, 4. Jud. 6, 29. sic ergo, ô Judex justissime, inquire, animadverte in improbum, ac puni ejus malitiam,* ut, *si quis deinceps eam quærat,* non inveniat *ullum ejus vestigium.*

Dei brachium & manus.

דָּרַשׁ.

Vers. 16.] *Et hoc te, ô Deus, decet, ob officium & naturam tuam, quippe qui es* Jehova, rex *totius mundi* sempiternus *Ps. 9, 8. & 5, 12 sicut etjam hactenus satis reipsa declarasti. Quapropter in spem certam erigor, ut, quemadmodum antea* perierunt gentes, ex terra ejus *Ps. 2, 1. 4 & 9, 8. 9. sic etjam deinceps perituræ sint Ps. 9, 4. à tentorio Dei evulsæ, & ex terra viventium eradicatæ Ps. 52, 7.*

Vers. 17.] *Deus enim regit res humanas optimè, & regnat in perpetuum: Tyrannis vero improborum citò deficiet. Et sicut hactenus promptè* desiderium, *preces & vota* mansuetorum exaudivisti Jehova, *ita* confirmabis *etjam* cor eorum, *præparabis, firmabis & stabilies animum eorum, qui opem tuam patienter præstolantur. supra Ps. 7, 13. 24.* dum adhibes aurem tuam *ad gemitus & preces eorum. supra Ps. 5, 3. tribuendo eis, quod orant.*

V. 18.] *In primis vero* vindicando *Ps. 7, 9.* pupillum *supra v, 14.* & attritum *Ps. 9, 10 ferens sententiam cognita causa, eamq; potenter exsequens, ut* non pergat amplius violèter eum exagitare (*hæc enim est vocis* עָרַץ *emphasis, ut notet violentum se exhibuit, omnium legum perrumpens repagula, alios more tyranni crudeliter exagitando, adeò, ut qui viderent, expavescerent, ac consternarentur*) mortalis homo è terra, *terrenus ex pulvere factus, & in pulverem reversurus Gen. 3, 19. De constructione supra Ps. 8, 2. Atq; ita à causa finali, ne amplius impunitate scelerum Dei gloria prophanetur, concludit psaltes, quemadmodum Ps. 9, 20. 21. & Ps. 12, 9.*

עָרַץ.

LOCI COMMUNES.

Dei omnipotentia.

Et omniscientia.

PRæter *doctrinam ex v. 12.*] *I. de Dei omnipotentia, quam scriptura per ἀνθρωποπάθειαν aliquando vocat manum, quæ nunquam curta Num. 11, 23. vel brevior est, quàm ut servet Esa. 59, 1. II. De Dei omniscientia & providentia speciali, qua curat Deus pios in Ecclesia Psal. 3, 6. & infra v. 14.*

Ex v. 13.] *de gloria Dei & interitu obstinatorum improborum oriunda, quos aliquamdiu furere permittit divina providentia Exod. 9, 16. Ps. 79, 1. 9. 10.*

Ex v. 14.] *quod Deus videat afflictiones suorum Ps. 56, 9. & 94, 9.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729737144/phys_0270
DFG

& 94, 9. Marc. 6, 48. Apoc. 2, 9. Exod. 3, 7. II. De malo pœnæ, quod sit à Deo Ps. 7, 12. 14.

Ex v. 15.) quod Deus malorum hominum operâ benè utatur ad castigandos suos filios: interim tamen crudelitatem eorum non probet in ipsis, sed severè puniturus sit. Utitur enim illis quasi flagellis, quibus coerceat carnis petulantiam. Postquam vero ad officium compulsi sunt filij, & se sub potenti Patris manu humiliarunt, more Patris φιλοσόφου hanc virgam frangit, abjicit & comburit Jer. 51, 20. seqq.

Ex v. 16.) I. De Dei perpetua cura pro Ecclesia Ps. 46, & 120. & 121. II. De malorum exitio Ps. 9, 17. 18.

Ex v. 17.) De promptitudine Dei in exaudiendis piorum precibus.

Ex v. 18.) Quod Deus resistat omnibus superbis, eosq; potenter perdat ad nominis sui gloriam. 1. Pet. 5, 8.

Discimus, quod in Dei providentia pij afflicti omnem suam spem meritò habeant repositam, quippe qui velit & possit clementer servare bonos, & potenter perdere malos. cui soli sapienti Deo sit gloria per JEsum Christum in secula. Amen. Roman. 16, 27.

I. INDEX *Autorum, quorum sententia vel laudatur vel refutatur.*

ABenezra pag. 162. 163. 220.
Ælianus 44.
Ανθολογία 29.
Aquila 70. 79.
Aristoteles 21. 31. 89. 241. 251.
Augustinus 21. 37. 61. 91. 101. 115. 170. 171. 236. 251.
Ausonius 144.
BAsilius M. 12. 36. 36. 37. 144. 148. 155. 156.
Bellarminus 64. 81. 90. 101. 102. 116. 123. 125. 126. 152. 158. 161. 172. 175. 188. 206. 209. 212. 215. 216. 232. 236.
Bernhardus 114.
Bodinus 70.
Buchananus 153.
Burgensis 70.
Buxtorfius 20. 66. 87. 95. 96. 103. 104. 105. 109. 117. 120. 152. 155. 156. 158. 189. 191. 207. 208. 209. 211. 212. 222. 223. 228. 229. 230. 244. 245. 246. 249. 255.
CAlvinus 38. 39.
Chaldæus interpres 145. 230.
Chemnitius 91. 93. 116. 121. 123. 124. 202. 205.
Chrysostomus 135. 169. 236.
Cicero 21.
DAnæus 162.
Drusius 2. 79. 150. 162. 207. 211. 230.
ELias in תשבי 5.
Epiphanius 3.
Eusebius 2. 250.
GAlatinus 39.
Gesnerus 2. 3. 28. 207.
Gualtherus 40.
HElvicus 39.
Herodotus 246.
Hesiodus 162.
Hilarius 3.
Hieronymus 3. 5. 6. 39. 65. 79. 101. 108. 109. 129. 145. 230. 223.
Horatius 144. 252.
Hunnius 164.
JOhannes Isaccus 104.
Josephus 2.
Junius 40. 125. 164.
KImchi 38 70. 163. 172. 207. 211.
LUtherus 80. 85. 92. 140. 147. 233. 237.
MOllerus 207.
Musculus 39. 207.
ORigenes 38.
Ovidius 246.
PAræus 39. 162.
Plinius 253.
Plutarchus 87.
Polanus 37. 174.
Quintilianus 42.
Rathmannus 70.

Schindle-

SChindlerus	68.	TErtullianus	141.
Seneca	61. 253.	Tossanus	39.
Septuaginta	14. 73. 74. 79. 81. 101. 108. 117. 175. 237. 241.	Tremellius	163.
		Virgilius	16.
Sohnius	37.	Witackerus	209.
Strigelius	207. 210.		

II. INDEX *Vocum Hebræarum, quarum Etymologiæ, Emphases, propriæ significationes & differentiæ hic declarantur.*

219. pag.	אָבַד	51. 131.	בִּהֵל
13. 195.	אָדָם	108.	בּוּן
247.	אִוָּה	108.	בּוֹקֵר
117.	אוֹיֵב	138.	בּוֹשׁ
247.	אָוֶן	162.	בּוֹר
13.	אִישׁ	92. 98.	בָּטַח
158.	אַל	137.	בָּכָה
253	אֵל	48.	בְּלִיַּעַל
105.	אֶל־	87.	בְּנֵי אִישׁ
247.	אָלָה	254.	בְּנֵי אֵלִים
84. 147.	אֱלֹהִים	144.	בֶּן־יְמִינִי
129.	אֻמְלַל	71.	בְּעַד
91.	אָמַר	62.	בָּעַר
1. nomen τεχνικὸν	אֱמֶת	240.	בְּקָרוֹב
133.	אָנַח	88.	בִּקֵּשׁ
194. 232.	אֱנוֹשׁ	61.	בַּר
61. 128. 243.	אַף	77.	בְּרָכָה
150.	אַרְיֵה	121. 242.	בֵּרֵךְ
189.	אֲשֶׁר	241.	גַּאֲוָה
13.	אַשְׁרֵי	149.	גָּאַל
62. deficit	בּ	43.	גּוֹיִם
154. ponitur pro contra		60.	גּוּל
119. 133. 155.	pro בַּעֲבוּר	150.	גּוּר
		157.	גָּמַר

157.	גָּמַר
221.	גָּעַר
175.	גִּתִּית
224.	דָּךְ, דִּכָּא
160. 241.	דָּלַק
92.	דָּמַם
112. 225.	דָּמִים
157.	דָּן
153. 159.	דָּרַךְ
257.	דָּרַשׁ
108.	הֶאֱזִין
119.	הֶאֱשִׁים
255.	הִבִּיט
44. 108.	הָגִיג
17. 44.	הָגָה
13.	ה הַיְדִיעָה
132, 170.	הוֹדָה
128.	הוֹכִיחַ
110.	הוֹלֵלִים
222.	הָמָה
113.	הֵיכָל
89.	הִפְלָה
148.	הִצִּיל
153.	הִשִּׂיג
124. 125.	הַשְׁמִינִית
114.	הִשְׁתַּחֲוָה
45.	הִתְיַצֵּב

adversativè sumptum pro sed ו
51. 70. 89.
59. ratiocinativè pro idcirco
72. ponitur pro statim.

120	pro relativo
152.	est corrigendi particula
93.	זָבַח
65.	זָמַר
162.	חִבֵּל
244.	חוּל
91.	חָטָא
13.	חַטָּאִים
244.	חִיל
149. 152.	חָלַץ
118.	חָלַק
128.	חֵמָה
163.	חָמָס
83. 129.	חָנַן
90.	חֶסֶד, חִסֵּד
62.	חָסָה
89.	חָסִיד
110.	חָפֵץ
17.	חֵפֶץ
51.	חָרָה
94.	טוֹב
150.	טָרַף
133.	יָגַע
33. 88.	יָדַע
17. 147.	יְהוָה
97.	יַחְדָּו
54.	יָלַד
199.	יַמִּים
185.	יָסַד
59. 128.	יָסַר
245.	יָפֵחַ

60. יָרֵא

מוֹץ	20.
מוֹרָה	232.
מְזִמָּה	242.
מִזְמוֹר	2. 65.
מַחֲה	221.
מְלָכִים	43.
מִפְּנֵי	66.
מִקָּרוֹב	240.
מִשְׂגָּב	224.
מָשִׁיחַ	46.
נִאֵץ	242.
נָבֵל	18.
נְגִינָה	80.
נְחִילוֹת	80, 104.
נָחַל	105.
נָטַע	222.
נִפְלָא	218.
נֶפֶשׁ	130.
נִצַּח	80.
נָתַן	18. 190
נָתַק	47.
נָתַשׁ	222.
סָבִיב	73.
סָכַךְ	120.
סָמַךְ	73.
סֶלָה	69. 70.
סָפַר	53.
סֵפֶר	4.
עָבַד	60.
עֲבוֹתִים	47.
עֶבְרָה	154.
עוֹלֵל	185.
עֹז	186.
יָרֵא	60.
יָשַׁב	15. 94. 98.
יָתוֹם	256.
כּוּן	117.
כּוֹנֵן	157. 191.
כּוּשׁ	144. 145.
כָּזָב	112.
כָּלָה	160.
כְּלִי	160.
כַּעַס	255.
כַּף	151. 230.
כְּפִיר	150.
כָּשַׁל	219.
לְאֻמִּים	43.
לָבִיא	150.
לָבֶטַח	98.
לָטַשׁ	159.
לַיִשׁ	150.
לָמָּה	42.
לַמְנַצֵּחַ	79. 80.
לְמַעַן	131.
לָעַג	50.
לְעוֹלָם	121.
לֵצִים	14.
לָקַח	138.
ל pro מִן	69.
מ notat comparativum	96.
מָגֵן	71.
מָה	181.
מוֹט	246.

רָפַף 149.
רוֹזְנִים 43.
רָחַם 129.
רִיק 46. 88.
רִיקָם 152.
רָמַס 153.
רָנַן 120.
רָעַד 61.
רָעִים 111.
רָצַר 121.
רָשָׁעִים 13. 111. 234. 235.
שְׁאוֹל 143.
שְׁגָרָה 142.
שְׁגָיוֹן 139. 219.
שׁוּב 108.
שׁוּעַ 125.
שׁוּשָׁן 74.
שׁוֹרֵר 117.
שָׁחַל 162.
שָׁחַר 150.
שָׁטָן 117. 187.
שִׁיר 2.
שָׁכַל 59.
שָׁלוֹם 97.
שָׁלַם 152.
שָׁלַח 47.
שָׁמַח 120.
שָׁמַר 257.
שָׁפַט 157
שָׁקַר 112. 162.
שָׁתַל 18.

עוֹ 186.
עַלְמוּת 207.
עֵלֶץ 120.
עַם 73.
עָמַד 15.
עָמָל 161.
עָנָה 72.
עֵצָה 130.
עֵרֶךְ 109.
עֶרֶץ 258.
עָשׁוֹר 125.
עֵת 18.

פֶּרֶד 149.
פּוּחַ 245.
פּוֹעֲלֵי אָוֶן 112. 123. 167.
פִּיחַ 245.
פֶּלֶג 18.
פָּלַט 149.
פְּלִיל 83.
פָּנִים 219.
פָּרַק 150.

צָפַד 109.
צוּר, צָר 69. 84. 117.
קֶבֶר 234. 235.
קוֹם 38.
cum עַ constructum 69.
קָרוֹב 71.
רָאָה 94. 191. 255.
רָגַז 91.
רָגַע 139.
רָגַשׁ 44.

18.	שָׁתַל	138.	תְּחִנָּה
223.	תֵּבֵל	138. 83.	תְּפִלָּה
17.	תּוֹרָה		

Et Vocum Græcarum.

Ἀγαλλιάω	60.	Εὐδοκία	121.
Αἷμα	12.	Θύω	93.
Ἁμαρτάνω	14.	Καὶ	51. 59. 72. 120.
Ἀρχή	247.	Καιρὸς	18.
Ἅρπαξ	168.	Καταρτίζειν	186.
Βασιλεὺς	45.	Κενόω	203.
Γινώσκω	33.	Κεχαριτωμένος	89.
Δάκρυον	137.	Κηρύσσω	71.
Δέχομαι	138.	Κοπιάω	133.
Ἐκνεύειν	243.	Ὅσιος	89.
Ἐλέγχειν	128.	Προσκυνεῖν	114.
Ἐξαλείφειν	221.	Σκάνδαλον	219.
Ἐξομολογεῖσθαι	132. 170.	Φρυάττω	44.
Ἐπιεικὴς	89.	Ψυχὴ	130. 131.
Ἐπιῤῥίπτω.	47.	Ὠδὶν	161.
Ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν	112.		

III. INDEX Verborum & Rerum memorabilium.

Abstractum pro concreto 14. 245.
Ambulare quid sæpè notet in scriptura 15.
Ἀναφορὰ 68.
Ἀνάλυσις Psalmi I. 12.
II. 41.
III. 67.
IV. 82.
V. 106.
VI. 127.
VII. 146.
VIII. 179.
IX. 214.
X 238.
Ἀνθρωποπαθῶς Deo multa tribuuntur 50. 107. 219. 240. 254.
Anticipatio seu πρόληψις 113. 195. 212.
Ἀντιμελία 245.
Arbor allegor. explicat. 18. 19. 27. 28. 29.
Argumentum Psalmi I. 12.
II. 40. 41.
III. 66.
IV. 81.
V. 106.
VI. 126.
VII. 146.
VIII. 178. 179.
IX. 213.
X. 238.

Aſpectus Dei gratioſus 95.135.195.233.
Attollere caput 71.
Auxilium unde expectandum 78.
Auxilij divini in morbo implorandi modus 135.

BAptiſmo quomodo tollatur peccatum 123.
Bellarmini bona diſtinctio 110.
Beneficiorũ Dei memoria 74.75.233.
Biblia hebræa nõ ſũt corrupta 101.102.
habent 24. libros 5.
Bonum ſummum quodnam? 21.
id ſectemur. 100.
Brachium Dei 257.
Cædere maxillam 76.
Calviniani refutãtur 32.37.40.116.206.
Calumnijs oppreſſi quid faciant. 86.
Caſtigatio Dei duplex 134.
Certitudo gratiæ divinæ unde? 78.79.
Chriſtus eſt Dei filius 53.
θεάνθρωπος 56.
à patre accepit omnia 54.190.
rex Eccleſiæ 56.
audiendus & colendus 57.
Dominus φύσει καὶ θέσει 197.
pro nobis miſer 202.
mediator 140.
verus homo 202.
filius hominis 195.
Chriſti perſona & officium 8.9.54.55.
regnum æternum 57.
Chriſto homini data ſunt dona divina 188.190.204.
Chriſtianorum officia & præmiũ 63.
Climax 14.15.45.46.69.153.160.218.
Conſcientia bona 99.164.165.
Conſolationes in perſecutione 75.
cruci opponendæ 227.228.
Conſortia prava vitanda 139.
Contritionis dolor, ejusq; ſigna 135.
Cor i. e. animus 241.
Creatio 7.
Crux unde 9.
Cultus Dei publicus non eſt negligendus 233.

DAmnatio hominũ unde? 22.23.35.
David non compoſuit omnes Pſalmos 2.
Delere quid notet 221.
Deus quod ſit, & quid ſit 7.
eſt æternus 226.
judex 156.
curat pios 29.
tandem eos audit 233.
quomodo increpet 220.
eſt invocandus 233.
eſt ſuum nomen 120.
malis afficit & bonis reficit 140.
non placatus eſt ignis conſumens 219.
non eſt autor peccati 115.116.
Dei facies 120.
maledictiones 226.
miſericordia 134.
juſtitia 166.
omniſcientia 166.
protectio 166.
magnificentia 183.
potentia 165.134.234.
Deo eſt confidendum 249.
A Deo habemus omnia 201.
Diabolus odit Eccleſiam 187.

Dicere

Dicere in corde 91.
Differentia decoris Christo & sanctis collati 194.
Dilatare quid in Psalmo quarto 84.85.
Doctores Ecclesiæ conferuntur stellis 193.
Dolor summus confertur doloribus partus 161.
Dona Dei cum admiratione suspicienda 201.
ECClesia confertur Lunæ 192.
est coram mundo abjecta 201.
Ecclesiæ hostium conatus vani 48.
Ελεγχος 10.
Elohim constructum cum singulari quid notet 172.173.
Ellipsis 155 170.
Enallage personarum 157. 224.
Enthusiastæ refutantur 21.
Επανόρθωσις 10.
Επιμονὴ 41. 83. 107. 109. 218. 220.
Εὐελοβρησιείαι 26.
Evangelium in toto mundo prædicatum 184.
Evangelij concio dicitur lux 95.
Ευφημισμὸς 243.
Exclamatio 68. 128.
FAcere fructum 19.
Fides est fiducia 62.92. 233.
à Fine cur in Psalterio fiat initiũ 12.
Fodere foveam 162.
Fundari id est, consilium capere 45.
GAudij piorum & impiorum discrimen 96. 122.
Gaudium piorum unde 233.
Geminatio apud hebræos auget 69.
Gentes quomodo Dei oblitæ 231.
Gratiarum actionis requisita 227.
est necessaria 171.233.
Gratiosa Dei præsẽtia in Ecclesia 226.
Hieronymus rejiciens Psalterij divisionem hebræorum refutatur. 3. 4.
Hodie de Deo dictum quid notet 54.
Homœoteleuton 68.
Hominis fragilitas 121.134.
JEhovæ nomen quid notet 199.
Impij sunt securi malis impendentibus 251.
faciem Dei non sustinent 226.
Impiorum tres gradus 16.
memoria perit 226.
instabilis felicitas 20.24.30. 31.140.
Impijs accidunt quæ timent 167.
Improbi comparantur sicarijs 247.
latronibus, jaculatoribus, leoni, aucupi 248.
simulant & dissimulant ibid.
multis vitijs sunt obnoxij 252.
& pejores beluis 253.
Indignitas nostra coram Deo agnoscenda 168.202.
Infantes credunt 200.
Inimici diligendi 165.
Innocentia tuenda 165.
Inscriptio Psalmorum unde 65.
Interrogatio Rhetorica 42.87.
Interrogatio notat difficultatem 94.
Judæi refutantur 38. 33. 43. 57.
Judicare, id est, punire 230.
Judicium Dei 166. 167. 168.
Justus quis in scriptura 33.
LAici à lectione scripturarum non arcendi 27.

Liber legis, Mosis, Psalmorum 4.
Lumen vultus Dei 95.
Lux i. e. prosperitas 26.
Lux major N. T. reservata 172.
Málos licet malis ornare titulis 164.
Malum pœnæ est à Deo 167.
Manus Dei 254.
Messis tempus lætissimum 96.
Metus servilis est magna pœna 234.
Mimesis 68. 94. 218.
Ministri Dei quales 200.
Miseria nostra 136.
Miserorum hominũ tria genera 256.
Modus ex cruce emergendi 75.
Mortui an laudent Deum? 141.
Musicæ usus 85.
Musicorum instrumentorũ genera 80.
NEmo læditur nisi à seipso 169.
Nomen Dei 120. 181.
Nomen Dei nosse 224.
Notitia approbationis 33.
Nox meditationi accommoda 17. 92.
OBlivisci Dei 231.
Obstinatorum interitum licet prædicere ac petere 166. 234.
Octavus Psalmus agit de Christo 177.
Oppressis quæ cogitanda 167. 168. 169.
Orationis requisita 114.
Os, id est, testimonium 185.
PArticula in initio posita ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda 68. 231.
Pax tibi 97.
Peccatum Deus non vult 110. 111.
Pius cum arbore confertur 19. 27.
Pœnitentiales Psalmi 9.
Pœnitentiæ partes 91.
ejus fructus 166. 167.
Poëtices donum 163.
Pœna talionis 167.
Πονηρία 252.
Pontificij refutantur 22. 26. 27. 34. 198. 201. 206.
Portæ notant potestatem 228.
Prædestinatio 8.
Providentia Dei 7. 49. 87. 98 165. 170.
Prophetarum 12. minorum est unus liber 5.
Psalterium scripturæ epitome 1.
ejus divisio 3.
finis & usus 6.
elogium 10.
Psalmorum diversus numerandi modus 237.
Quærere Jehovam 224.
REbus, quibus alij abutuntur, nos rectè utamur 182.
Recedendum est à malo 99.
Reges terræ 44.
Relativum quandoq; ad substantivum remotius. 160.
Respondere i. e. exaudire. 72. 83.
SAnguinem piorum effusum Deus ulciscitur 227.
Scelus in autorem redit 163.
Scriptura ab omnibus est legenda 27. 98.
Sedere quid notet scripturæ stylo 15.
Sela 69.
Servitus vocatur jugum 48.
Similia cur in biblijs 36.
Sion, id est, Ecclesia 52.
Socrates nobilem corrigit 44.

Spiritus

Spiritus Sanctus est autor Psalterij 2.
digitus Dei 193.
dicitur aqua 28.
Status exinanitionis 195.
exaltationis 196.
Stoici refutantur 183.
Superbia tyrannidis causa 250.
Surgere dicitur Deus 76.
Tentatio piorum 249.
VErsio græca bibliorum est vitiosa 103.
V. T. quinam libri 1.
Via, id est, institutum 15.
Videre, id est, frui 94.
Visitatio Dei duplex 202.
Vita cur cum via conferatur 24.
Usus Psalmi I. 11.
II. 41.
III. 66.
IV. 81. 82.
V. 106.
VI. 126.
VII. 146.
VIII. 179.
IX. 213.
X. 238.
Vulgata versio mala 154.
Ὑποτύπωσις 239. 248.

Lectori S. P.

ERrata & lapsus operarum Typographicarum, Lector benevole, animus erat longa serie hic subjicere. Verum quando jam in plerisq; notandis eram occupatus, videbam utiq;, nil tanti esse, ut in his te detinerem, quum posses ipse singula facilimè emendare. Pleraq; enim adeò levia erant, ut tempus & chartas me perdere existimarem, tuoq; candori ac eruditioni diffidere videri possem, si id, quod cœperam, pertenderem. Et quis Lector attentus atq; industrius non potest in Hebræis, si quod punctum abundat vel deest, tam supra, quam intra literas; in Græcis, si quis tonus aut spiritus cum alio commutatus; in Latinis deniq;, quum una litera ab alterâ divulsa, vel pro cognatâ est posita, ex se huic malo mederi? & proinde alterius opem ut imploret, aut operam succenturiatam expectet, planè supervacaneum esse duco, ac mutatâ sententiâ, ne qua vacet pagina, programma appono, quod præmissum fuit horum Psalmorum explicationi. Vale & salve.

S. S. Theologiæ Studiosis in Academia Rostochiensi S. P.

ESt hoc in more positum, ut ij, qui librum aliquem publicè explicare aggrediuntur, eo inuitatum auditores eant

programmate, quo illius dignitatem cum suæ industriæ & studij promissione conjungant. Mihi hoc tempore ab hac consuetudine aliquantulum declinare visum est, tum quod multa promissa fidem levare plerumq; soleant, tum quod eum propositurus sim librum, qui & omnibus pijs per se est commendatissimus, & cujus dignitatem verbis, quantumvis lectissimis, assequi nemo potest. PSALMORUM librum puto, de quo ita scribit Basilius M. ἡ τῶν Ψαλμῶν βίβλος τὸ ἐκ πάντων ὠφέλιμον περιείληφε. προφητεύει τὰ μέλλοντα, ἱστορίας ὑπομιμνήσκει, νομοθετεῖ τῷ βίῳ, ὑποτίθεται τὰ πρακτέα. καὶ ἁπαξαπλῶς κοινὸν ταμιεῖόν ἐστιν ἀγαθῶν διδαγμάτων, τὸ ἑκάστῳ πρόσφορον κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν ἐξευρίσκουσα. Et quid verbis aut autoritate aliorum Patrum opus est, ubi rerum adsunt testimonia? Psalmorum cantu Nazianzeni Pater ad fidem Christianam convertitur, Augustino lachrymæ excutiuntur, fores templi clausæ à Basilio reserantur, Diaboli ab Antonio fugantur. Hunc usum Psalmorum longè præstantissimum cum videret Satanas, id semper dedit operam sedulò, ut eos vel Scholis & templis exterminaret, vel, si id non posset, verum sensum varijs glossis obscuraret. Hinc Samosatenus & Manichæi Psalmos olim sustulerunt: hinc Rabbinorum, Pontificiorum Calvini aliorumq; nonnullorum in eos pravæ expositiones fluxerunt. Utriq; malo præclarè obviam ire voluit majorum nostrorum pietas, qui statuto sanxerunt peculiari, ut subinde Psalmorum liber studiosæ juventuti proponeretur publicè, siquidem Spiritus S. instinctu conscriptus ea docet, per quæ non tantum in hac vita felices, sed etjam post hanc vitam beati esse possumus. Quocirca ex juvenibus pietatis amantibus præclarè sentiunt

& rectè

& rectè omnino faciunt, qui ætatem floridam in his studijs sacris collocant. quod licet eos sua sponte libenter facturos confidam, hoc meo tamen programmate rogatos volo. Meam operam ut magnificè pollicear, vetat pudor, impedit officium. tantum habeo polliceri, quicunq; tantam animorum alacritatem afferent, quantam regius vates optimarum rerum varietatem præbet, nunquam futurum, ut modici temporis usuram malè à se locatam jure censeant. Benè feliciterq; valete in Domino, & in diem Mercurij proximum hora septima matutina in auditorio Philosophico australi adesse, meosq; conatus ei commendare ne gravemini, penes quem est fons vitæ, & in cujus luce veram videre lucem possumus. P. P. a. d. V. Non Jul. cIↃ. IↃ. cxIv.

JOHANNES TARNOVIUS

Menda quædam graviora ita sunt emendanda.

Pag. 6. versu 5. lege, comment. in Esaiam v. 30. pro *quæ*, lege, quod. p. 8. v. 25. l. μεταδιδόσει p. 12. v. 22. l. quæ est. p. 16. v. 19. l. desideat. v. ult. l. doctrinâ traditâ. p. 21. v. 12. l. octoginta. p. 38. v. 5. l. Calvinus. p. 44. in marg. l. 3. c. 28. p. 53. v. 18. l. dixit p. 55. ultimam vocem, *quia*, dele. p. 71. v. 1. l. נגן. p. 73. v. 1. l. expergefeci p 91. v. 10. præcipit ut. p. 94. v. 21. dele, qui. p. 95. 11. tantummodo. p. 97. 9. necessariarum. p. 107. v. 8. l. blandiuntur. p. 108. v. 2. l. האזינו p. 109. in marg. l. צופר p. 109. v. 10. l. inexpectati. p. 112. in marg. & textu, ἐργαζόμενοι v. 17. l. Ethicam. v. 23. præstat p. 114. v. 2. l. σέβεσθαι. p. 134. v. 14. l. inflixit. p. 140. in marg. Deus malis afficit, & bonis reficit. p. 141. v. 15. fallaciam. 145. 23. eamq;. 148. l. circumcisione. 151. lavare. 142. 14. pacificum. v. 22. affixo. 160. 10. conatu. 170. 21. sit. 173. 18. obducunt. 182. 29. aurea. 184. 13. prædicatum. 198. verba, *& post resurrectionem*, insere textui ante *Joh.* 21. deletâ parenthesi. 220. 17. enthymema. 233 desideratur vox, *precibus*. 236. 22. Apoc. 9. 11. 244. 28. ultimum (cum) ita lege, cùm. 247. 19. aureos. 256. 10. credidit. Reliqua leviora quando agnoscis, ignosce.

ΠΑΝΤΟΤΕ ΔΟΞΑ ΘΕΩ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729737144/phys_0288
DFG

Vers. 15.] *Hisce petitionis suæ argument*
ticè expositis, psaltes propositionem in concl
petit per ἐξήγησιν, *in quâ duo petit, dissipati*
affligentium v. 15. 16. ac liberationem pro
v. 17. 18. Frange, *inquit,* brachium imp
Deus, cui manus fortis est & brachium ext
& 15, 16. id est, maxima potentia Deut 4, 34
2. Chron. 6, 32. Ps. 136, 12. siquidem scriptu
manum supra v. 12. ita & sæpissimè brachiu
4. & 71, 18. & 77, 16. Esa. 30, 30. Luc. 1, 51.
si frangere brachium dicitur, qui potentiam
Job. 38, 15. Ps. 37, 17. Jer. 48. 24. Ezech. 30,
probitatem ejus (*nam per enallagen tem*
imperativo Buxt. Thes. p. 95.) *inquire*
metalepsin apud hebr. valde frequentem, inq
lucem, ac detectam jam puni Gen. 9, 5.
dicuntur ἀνθρωποπαθῶς *more judicis terreni,*
perplexa inquirit verum, & tandem iniqui
punit: Ita enim accipitur verbum דָּרַשׁ *d*
rata causæ, quæ agitatur in judicio Deut.
16. & 34, 10. 11. Confer etjam Deut. 13, 14. &
sic ergo, ô Judex justissime, inquire, anim
bum, ac puni ejus malitiam, ut, *si quis dein*
non inveniat *ullum ejus vestigium.*

Vers. 16.] *Et hoc te, ô Deus, decet,*
ram tuam, quippe quies Jehova, rex
ternus *Ps. 9, 8. & 5, 12 sicut etjam hactenus*
claravisti. Quapropter in spem certam erigor
dum antea perierunt gentes, ex terra ej
8. 9. sic etjam deinceps perituræ sint Ps.
evulsæ, & ex terra viventium eradicatæ P

Dei brachium & manus.

דָּרַשׁ.

[17.]